UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.

Pars II. De Missæ Sacrificio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

omitteres. Vid. *Sentent. damn. ab Alexan. VII. num. 33.* Sunt, qui arbitrentur, obligationi restituendi posse satisfieri per geminatam Officii recitationem, quia redditur æquale. Vid. *Gob. l. c.* qui hoc ipsum admittit tanquam probabile propter authoritatem extrinsecam quorundam DD. ita sentientium, verùm hæc sententia *Bullæ Pij V.* & recepto DD. sensui nimiùm contrariari videtur.

Officium pauperibus datæ sunt.

Fiétne satis dictæ obligationi per geminatam Officii recitationem.

PARS II.

De MISSÆ SACRIFICIO.

PROEMIALIA.

De Eucharistia.

EUcharistia dupliciter considerari potest. Primò, ut est Sacramentum. Secundò, ut est Sacrificium. Quatenus Sacramentum: est res permanens, & consistit essentialiter in duobus, nempè in speciebus Eucharisticis,

Explicatur, quid sit Eucharistia, ut est Sacramentum, & quid, ut est Sacrificium.

& in Corpore ac Sanguine Christi, ita ut si alterutrum absit, non habeatur Sacramentum. Usus autem & sumptio neque est pars essentialis hujus Sacramenti, neque integralis, sed nuda applicatio & conditio, ut Sacramentum in nobis operetur. Undè contra naturam reliquorum Sacramentorum materia remota hujus Sacramenti est transiens panis enim & vinum transeunt in Corpus & Sanguinem Dominicum; Proxima verò est permanens, suntque species Eucharisticæ, quæ tamdiu permanent, donec ab agente contrario destruantur. Eucharistia verò quatenus Sacrificium, est aliquid transiens seu potius terminus actionis transeuntis: Omne enim Sacrificium consistit in actione quadam destructiva, per quam creatura aliqua destruitur in recognitionem supremi dominii, quod Deus habet in vitam, & esse rerum creatarum, & in signum nostræ servitutis, ac subjectionis. Quæ actio destructiva cùm sit transiens, etiam ipsum Sacrificium rectè dicitur transiens. Ita in Sacrificiis veteris Testamenti ad designandum Dei in

Ut Sacramentum est quid permanens & constitit essentialiter in speciebus Eucharisticis, & in corpore & sanguine Christi.

Habet Eucharistia materiã remotam trãseuntem, & proximam permanentem.

Eucharistia, ut Sacrificium est quid transiens.

res

res omnes creatas dominium destruebantur & mactabantur vituli, aliæque ejusmodi pecudes. Nostrum proindè Sacrificium, quod in locum Sacrificiorum veteris Testamenti successit, consistit formaliter in consecratione, quæ est actio destructiva Christi, non quidem physicè, uti olim factum est in Cruce, sed moraliter & mysticè: Per consecrationem enim destruitur Christus, & quodammodo occiditur, dum vi verborum sub speciebus panis ponitur solum corpus Christi, & vi verborum formæ sub speciebus vini ponitur solus Sanguis Christi: Separare autem totum Sanguinem à corpore, est hominem destruere & occidere. Quæ Christi destructio cum fiat eo fine, ut agnoscatur supremum & absolutum Dei in res omnes creatas dominium, rectissimè dicitur Sacrificium. Vide quam tremendum peragas opus, quando ad honorandum supremum Numen per consecrationem destruis Dei Filium, & agnum immaculatum mysticè occidis. Dixi vi verborum ponitur solum Corpus & Sanguis Christi. Nam

Et consistit formaliter in consecratione.

Per consecrationem Christus ineruentè, & mysticè occiditur.

Idq; in recognitionē supremi dominii, quod Deus in res creatas habes.

quan-

quantum est ex vi ipsorum verborum, & illorum significatione plus poni non debet, quam solum Corpus & solus Sanguis ; certum tamen est per concomitantiam poni sub utraque specie totum, quod Corpori & Sanguini conjunctum, & consequenter poni Christum totum. Ex quibus omnibus rectè sequitur, nunquam licere etiam in gravi necessitate v. g. ut moribundo præbeatur viaticum, unam tantum speciem consecrare, quia ut sit Sacrificium & perfecta Christi occisio, necessario requiritur utriusque speciei consecratio, pro ut patet ex ipsa Christi institutione in ultima cœna, quando consecrationem utriusque speciei in sui memoriam fieri præcepit. Undè nequidem ipse Pontifex ullo casu juxta communem sententiam contra quosdam in hoc dispensare potest. Poterit tamen per accidens, & præter intentionem aliquando fieri sine peccato, ut una species consecretur sine altera v. g. si quis aquam loco vini consecrâsset, nec errorem adverteret nisi diu post, aut postquam advertisset aliud vinum haberi non posset, vel tametsi

Cùm absq; consecratione utriusque speciei non habeatur perfecta ratio Sacrificii, hinc nunquam etiam in gravi necessitate licèt unam tantùm speciem consecrare.

Nec ipse Pontifex facultatem dare potest.

Assignantur varii casus, in quibus per accidēs & præter intentionē

metsi hoc haberetur, eo tamen uti non posset absque gravi scandalo aut vitæ periculo. Similiter si Sacerdos post consecratam Hostiam subito moreretur, aut alio repentino casu, v. g. amentiæ obrueretur, quò minùs alteram speciem consecraret, & alius Sacerdos non adesset, qui Sacrificium perficeret. Quod si talis adesset, deberet etiam non jejunus supplere, imò si Sacerdos infirmus Communionem suscipere posset, dividet Hostiam, eique partem dabit. Denique si post consecrationem unius speciei ab hostibus vel incendio subitum periculum mortis immineret, secluso tamen contemptu fidei aut gravi scandalo ita DD. communiter. Vid. *Suar. Reg Tamb.* &c. Hac duplici Eucharistiæ formalitate prænotata dividemus ultimam hanc partem in duas sectiones, in quarum prima per diversa capita sive subsectiones agemus de Eucharistia ut est Sacramentum. In altera, de eadem ut est Sacrificium.

una species sine altera consecrari potest.

* * *

PAR-

PARTIS SECUNDÆ

SECTIO PRIMA.

De Eucharistia ut est Sacramentum.

CAPUT I.

Explicatur essentia Eucharistiæ ut est Sacramentum, item ejus Vnitas specifica & numerica.

EUcharistiæ Sacramentum passim his ferè verbis definitur: Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animæ refectionem à Deo institutum. Ex qua definitione patet species Eucharistias pertinere ad Eucharistiam tanquam sensibile signum refectionis spiritualis; Corpus verò & Sanguinem Christi tanquam spirituale animæ nutrimentum. Nam sicuti corpus hominis reficitur pane & vino, ita anima Corpore & Sanguine Christi.

Datur definitio Sacramenti.

sti. Unitas specifica hujus Sacramenti desumitur à fine, ad quem institutum est; undè cùm sit institutum per modum convivii spiritualis ad reficiendam animam, tametsi species panis & vini, imò quælibet illarum pars materialiter & physicè inter se differant, moraliter tamen in ratione convivii, ad quod integrādum species panis & vini requiruntur, non est nisi unum Sacramentum. Unitas autem numerica hujus Sacramenti desumitur ab una numero refectione per unicam Communionem facta, sive illam feceris sub una, sive sub utraque specie, sive per susceptionem unius Hostiæ, sive plurium, eæq; ab uno vel pluribus Sacerdotibus consecratæ fuerint. Ac proinde licèt physicè loquendo tot sint numero Sacramenta, quot numero species seu partes specierum, moraliter tamen est unum numero Sacramentum, quod per modum unius sumitur, & ad unum finem, nimirùm ad unam spiritualem refectionem refertur. Adeóque communicans si sub utraque specie communicet, aut per errorem accipiat duas trésve hostias, non censé-

Ejus unitas specifica desumitur à fine, ad quem institutum est.

Unitas numerica ab una numero refectione spirituali, sive unam sive plures hostias simul acceperis.

censebitur duo, sed unum suscipere Sacramentum est comm. DD. Vid. *S. Thom. q. 73. & alios.*

CAPUT II.

De materia Hostiæ.

Materia hostiæ est solus panis triticeus.

MAteria Hostiæ certò apta consecrari est solus panis ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, in furno, aut alio simili modo per ignem excoctus. Vid. *Decret. Eugenii IV. S. Thom.* &c. Neque hic scrupulosè turbaberis sciens paucula grana hordei, aut alterius frumenti cum maxima quantitate tritici esse commolita, ex qua triticea farina adeò modicè mixta deindè conficiantur Hostiæ. Quia ut loquitur *D. Thomas art. 3. in corp.* ad usum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit, communissimè autem vescuntur homines pane pisto ex farina triticea non prorsus sincera. Accedit, quod humanam ferè industriam effugiat, quin unum, alterumve alterius speciei granum triticeæ farinæ

Quid si tritico paucula grana hordei, aut alterius frumenti commixta.

misçea-

miſceatur. Idem eſt ſi quis pulviſculus, aut aliud quid nullius momenti Hoſtiæ aut vino immixtum videatur: Hæc enim per humanam induſtriam caveri vix poſſunt, & pani & vino uſuali communiſſimè miſcentur. Cæterum panis conſecrandus ex præcepto Eccleſiæ debet eſſe figuræ orbicularis, de magnitudine autem hoſtiæ non eſt ullum præceptum, aut conſuetudo obligans ſub præcepto; Undè non eſt illicitum adhibere hoſtiam minorem, qualis datur Laicis, quando pro Sacrificio alia haberi non poteſt, dummodo ſcandalum abſit, idque non tantum in Sacro privato, ſed etiam ſi cauſa urgeat in publico. Vid. *Tamb. lib. 2. cap 8. §. 7.* Cave autem quando majorem à te conſecratam Hoſtiam repoſiturus es in hierotheca; Cave inquam, ne Hoſtiam ab alio, aut in alia Miſſa conſecratam ſumas loco tuæ, quia debes communicare de tuo Sacrificio.

Aut pulviſculus aliquis, aut aliud nullius momenti, hoſtiæ aut vino videatur immixtum.

An panis conſecratus debeat eſſe figuræ orbicularis.

Quid dicendum de magnitudine hoſtiæ.

An hoſtia minor, qualis datur laicis, pro Sacrificio adhiberi poſſit.

Materia Calicis certò apta eſt ſolum vinum de vite, & quidem omne ſive album ſive rubrum, cõvenientius tamen propter munditiem, ſi fieri poteſt, utere albo, cùm

Materia Calicis eſt ſolum vinum de vite, ſive alba, ſive rubra.

Certiùs semper utêris albo.

cùm ex rubro purificatoria facilè sordescere incipiant: Vid. *Supra cit. Decretum Eug. & DD comm.*

Utrum vino necessariò admiscenda sit una aut altera gutta aquæ.

Vino ex præcepto graviter obligante admiscenda est una, alterave gutta aquæ, idque non domi, sed in ipso Sacro. Vid. *S Thom. q. 74. art. 8* Quòd si plures guttæ præter intentionem miscerentur nihil id oberit, modò aqua affusa non excedat tertiam partẽ vini, alioqui fiet materia dubia.

Quid si plures guttæ præter intẽtionem miscerentur.

Rectè tamen inquit, *Gav. p 2. cit. 7* quanto paucior est aqua, tanto potiot, præsertim si vinum valdè tenue sit, in quo periculum esse potest. ne tertia pars aquæ affusæ prævaleat substantiæ vini, ejusque accidentibus, adeoque de eo, quod est in Calice, potiùs dici debeat aquam esse, quam vinum. Vid. *Tamb. lib 2. c. 4. §. 7.* Hæc aquæ mixtio si omissa fuerit, idque notetur ante consecrationem Calicis, adhuc facienda est, secus si post. Vid. *Gob. tract. 3. cas. 3. sect. 2.* Utrum autem hæc aqua vino immixta transeat in Sanguinem Christi, de hoc disputent Scholastici. Observandum quoque est circa materiam Calicis rectiùs & decentiùs parùm vini,

Aut si hæc aquæ mixtio omissa foret.

Quantum vini ordinariè adhiberi debeat.

etsi

etsi sit generosum & sapidum (neque enim in tanto Mysterio delectatio gustus quærenda est) quam multum affundere, tum ut faciliùs post sumptas species debito modo purificetur Calix, tum etiam ut caveatur periculum, ne sacer Sanguis defluat in barbam aut patenam, quod faciliùs fieri potest, si major vini copia fuerit affusa. Porrò Sacerdos, qui, ad habendam aliquam sensualem in speciebus voluptatem, plus vini affunderet saltem venialiter peccaret. Vid. *Gob. l. c.*

CAPUT III.

De forma Eucharistiæ.

FOrma, quâ panis consecratur est hæc: *Hoc est enim Corpus meum*, cujus singulæ partes præter particulam enim, sunt essentiales. Forma, quâ vinum consecratur est sequens: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In qua forma certum est verba:

Assignatur utraq; forma.

Item partes utriusque essentiales.

verba : Hic est Calix Sanguinis mei, sive hic est Sanguis meus, esse essentialia, reliqua autem præter particulam, enim, deliberatè omitti non possunt sine gravi peccato. An autem omittantur cum irritatione Sacramenti controversum est. Probabiliùs est non requiri ad essentiam, quia multæ Ecclesiæ olim omittebant alias atque alias ex his particulis. Vid. *Dom. Reding. q. 2. art. 2. controv. 2.* & alios.

Explicantur verba ob scuriora Calicis.

In hac autem forma, verba illa : Testamenti, & Mystetium fidei sic intelligenda sunt, hic est Calix Sanguinis mei, qui Sanguis, est confirmatio Testamenti, id est ultimæ voluntatis, quâ Christus nos ad æternam hæreditatem destinat, & simul Mysterium fidei; id est signum occultæ rei, quæ sola fide cernitur. Circa hæc verba consecrationis notandum est, ut ea nunquam tam altè pronunties, ut ab iis, qui à te remotiùs distant, audiri possint. Minister Sacri si te audiat, nihil impedit, peccabis tamen venialiter si ad 6. vel 8. passus, imò mortaliter si ad 40. audiri consueviſſes, quia in priore casu leviter, in posteriore valdè

An peccet, qui verba formæ nimis altè pronunciat.

nota-

notabiliter agis contra ritum Ecclesiæ communissimum in actione omnium gravissima, dabísque occasiones obmurmurationum, scandalorum, offensionum. Sed neque hic te scrupulis angi volo, non enim peccabis, si sic verba consecrationis pronunties prout alteri tibi proximè adstanti modestè loqui soles. Cæterum ut verificetur forma consecrationis, per particulam hoc non potest, nec debet designari panis, qui manibus à Sacerdote tenetur, ita ut sensus formæ sit hoc: id est, hic panis est Corpus meum: Falsa enim est propositio; panem esse corpus Christi. Undè per particulam hoc significatur substantia contenta sub accidentibus panis, ita ut sensus sit formæ: Hoc, quod continetur sub accidentibus panis, est Corpus meum, sive substantia contenta, sub accidentibus panis, est Corpus meũ, quæ propositio est verissima. Cave etiam in forma Calicis particulam hic accipere adverbialiter, id est, in hoc loco, cùm sumenda sit per modum pronominis demonstrativi. Item falsò interpretaberis formam Calicis, si velis

Quid significet particula hoc & hic in utraque forma.

hunc ipsius sensum esse, hic Calix vini, est Calix Sanguinis mei. Neque etiam verum est, quod vinum sit Sanguis, est tamen verum, quod substantia contenta sub speciebus vini, sit Christi Sanguis. Ut enim propositio sit vera debet esse identitas inter prædicatum & subjectum, qualis non est inter panem & corpus, neque inter vinum & Sanguinem Christi. Vid. *Gob. Tr. 3. cas. 3.* & alios.

Verba formæ quomodo proferenda sint.

Verba formæ dupliciter proferri possunt. Primò, recitativè historicè, & materialiter, quando nimirùm proferuntur per modum narrantis. Secundò assertivè, formaliter, & significativè, quando pronunciantur per modum asserentis, & volentis per illa verba indicari sensum animi sui. Priori modo proferre verba consecrationis non sufficit; Neque enim sufficit verba illa narratoriè dicere, & per modum narrantis, seu historiam referentis dicere, Christum post acceptum panem dixisse: *Hoc est Corpus meum.* Debent igitur verba consecrationis proferri modo posterioti, id est formaliter, & significativè. Sacerdos enim quando consecrat, loqui-

loquitur in persona Christi, adeóque verè & propriè asserit, illud esse Corpus & Sanguinem suum: Nam ut rectè loquitur *D. Thom. q. 78. art. 3. in corpore. Ea verba dicuntur à Sacerdote, acsi Christus ea præsentialiter proferret.* Cætera tamen, quæ in Canone præcedunt ipsam consecrationem, solùm recitativè dicuntur. Addunt etiam aliqui illa verba: Qui pro vobis & pro multis effundetur, dici recitativè, quia non profundetur amplius Sanguis Christi. Vid. *Gob. l. c.* Ubi nota Christum esse principalem sacrificantem, tum quia Christus vult suo nomine à Sacerdotibus hoc Sacrificium Deo Patri offerri, tum quia credibile est, ut notat Suarez cum aliis, Christum singula Sacrificia, dum actu fiunt, Patri suo offerre. Hoc enim ejus in Patrem reverentiæ, atque in homines amori est valde conveniens. Ex quo patet, quàm propriè in persona Christi dicat Sacerdos: *Hoc est Corpus meum.*

Item in cujus persona proferantur.

Cæterùm operantur verba consecrationis sequentem effectum, ut iis prolatis destruatur tota substantia panis, & tota substantia vini, & sub illorum accidentibus

Explicatur, quid operentur verba consecrationis.

constituatur eorum loco Corpus & Sanguis Christi, & ita quidem, ut sub accidentibus panis vi verborum, id est per se directè & primariò non ponatur plus, quàm Corpus Christi, licèt concomitanter, id est per accidens, indirectè, & secundariò ibi simul constituatur Sanguis, Anima, & Divinitas Christi. Nam vocabulum Corpus secundùm communem hominum significationem, non significat Animam, Sanguinem, Deitatem, sed solam corpoream molem constantem ossibus, nervis, carne. Similiter sub speciebus vini non collocatur plus vi verborum, quàm Sanguis Christi, concomitanter autem Corpus, Anima, Divinitas. Cùm enim Christus decreverit non amplius suum Corpus existere sine Animà & Sanguine juxta illud *Apost. ad Rom 6. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*; Idcircò fit, ut ubi statuitur unum horum, ibi & alterum sit concomitanter, sive per concomitantiam, adeóque ex decreto Christi unum comitetur alterum. Vid. *Concil Trid. sess. 13. c. 3.*

CA-

CAPUT IV.

An materia consecrationis debeat esse consecranti præsens, & per illius intentionem determinata.

MAteria panis & vini Sacerdoti consecranti debet esse moraliter & sensibiliter præsens, quia alias non verificabuntur pronomina hic & hoc : Illæ enim particulæ cùm sint demonstrativæ, significant rem præsentem. Undè materia post parietem posita vel clausa in tabernaculo non consecrabitur, quia non est moraliter præsens. Est comm. DD.

Materia panis & vini debet esse moraliter & sensibiliter præsens.

Quid si materia sit post parietem, vel clausa in tabernaculo.

Quoniam pronomina hoc & hic juxta proprium sensum, & vi suæ institutionis demonstrant, & significant rem præsentem, quod non faciunt pronomina illud, ille, &c. Hæc enim vi suæ institutionis etiam significare possunt rem absentem : ut si Petrus in platea mihi loqueretur de aliquo libro meo, rectè dicam ille vel iste liber, etsi absens sit, est meus. Undè si quis consecraret ponendo loco pronominis

Cùm pronomina: hic & hoc, significent rē præsentem, loco illorū non poterunt poni pronomina: illud & ille.

minis hoc, pronomen illud, dicendo, illud est Corpus meum, probabiliter validè non consecraret. Vid. *Vasq. disp. 171. c. 4.* Cùm inquam supradicta pronomina propriè sint demonstrativa rei præsentis, hinc circa formam consecrationis duo advertunt Theologi. Primò in consecratione debere materiam esse præsentem, nam ut paulò ante dixi de re distanti aut absenti cum veritate dici non potest hoc vel hic : Quantum autem materia distare possit à consecrante, id disputant Theologi. Quorum aliqui putant posse distare ad decem passus, alii ad viginti. Vid. *Henriq. l. 8. c. 14.* Tu in re dubia sequere, quod tutiùs est, ádeóque materiam consecrandam tibi proxime præsentē habe. Secundò notant Theologi ex dictis pronominibus materiam debere certam esse & determinatam. De re enim indeterminata hic aut hoc dici non potest v. g. si inter decem homines unus esset infirmus, tu autem nescires, quis ille esset, non poteris verè dicere, hic homo est infirmus, ad hoc enim requiritur, ut determinatè nôris infirmum. Idem est si inter decem

Materia consecrationis quantum possit distare à consecrante.

Debet esse certa & determinata.

hostias

hostias, unam velles consecrare, necesse est, ut per intentionem tuam illam determines, adeóque cum veritate possis dicere hoc, &c. Debet itáque consecrationis materia semper certa esse & determinata per intentionem Sacerdotis: Non eris autem certa & determinata, si intendas ex multis illas consecrare hostias, quas Deus elegit, aut consecrare partes hostiæ, quæ fractâ sacrâ Hostiâ simul mansuræ sunt, non verò, quæ illa fracta decident, quia nescis, quænam sint illæ hostiæ, quas Deus elegit, item ignoras illas partes, quæ fractâ sacrâ Hostiâ manebunt, aut decident. Vid. *Bon. d. 4. q. 2. p. 5.* Porrò ne opus sit de guttis vini extra vel intra Calicem detergendis sollicitum esse scrupulosè (nam laudabiliter faciet illas semper detergendo) bene faciet Sacerdos, si semel pro semper intendat ejusmodi guttas non consecrare, uti nec micas hostiæ adhærentes: Videtur enim ex probabili sententia esse mens Ecclesiæ ut non consecretur nisi id, quod est per modum continui in Calice aut in Hostia. Vid. *Laym. lib. 5. tr. 4. c. 2. Suar.* &c. Cui seu-

Erítne determinata, si ex multis intendas illas hostias consecrare, quas Deus elegit, &c.

Quid dicendum de guttis vini extra vel intra Calicem.

Item de micis hostiæ adhærentibus.

sententiæ te poteris accommodare utpote probabili. Quod si fortè per errorem arbitrareris non adesse nisi tres aut quatuor hostias consecrandas, essent autem plures, valida erit omnium hostiarum consecratio, quia Sacerdos habet implicitam intentionem consecrandi omnes præsentes: Nemo enim Sacerdotum est, qui non velit consecrare juxta consuetudinem & mentem Ecclesiæ: Hæc est autem mens Ecclesiæ, ut consecrentur omnes præsentes in uno cumulo supra Altare consecratum & corporale positæ, ut patet ex Rubricis Missalis. Quod si oblitus fuisses tempore consecrationis aperire Ciborium aut Calicem, in quo sunt Hostiæ consecrandæ, noli propterea dubitare de valida consecratione, modo cætera requisita adfuerint. Vid. *Dian. p. 3 tr. 6, res. 103 Tamb.* &c.

Quid si per errorem essent plures hostiæ, quã Sacerdos opinaretur:

Aut si tempore consecrationis oblitus fuisses aperire ciborium, in quo erãt hostiæ consecrandæ.

Quanquam Hostiæ consecrandæ juxta Rubricas Missalis ponendæ sunt super Altare, antequam fiat Offertorium, interdum tamen licitè consecrabis eas, modò adsint ante Præfationem, imò & immediatè ante Consecrationem

An hostiæ plures consecrandæ debeant necessariò poni super altare ante Offertoriũ.

v. g. in eo casu, in quo si non consecrarentur, plures oporteret dimittere sine Communione. Sufficit autem istarum hostiarum oblationem in tali casu mente & non verbis facere. Vid. *Tamb. lib. 2. de Sacrif. c. 5. §. 2.* Dixi plures, &c. nam si unus solus absq; Communione dimittendus esset, non consecrabis novam hostiam, sed diffringere poteris particulam hostiæ minori circiter æqualem ex tua hostia majore, eamque ipsi porrigere. Vid. *Gav. par. 2. Tit. 10.* & alios, quæ doctrina etiam servire potest, si post consecrationem v. g. moneretur Sacerdos de dando Viatico alicui subitò infirmato in defectu minorum hostiarum. Habétque hic casus non rarò locum tempore pestis.

Quid si post Offertorium ponerentur, sufficiétne oblatio hostiarum facta mente & non verbis.

CAPUT V.

Ex modò dictis quædam clariùs elucidantur.

AD meliorem præcedentium elucidationem nota sequentia. Primò, quamvis nonnulli sint, qui putent essentiam Sacrificii

1. In consecratione unius speciei non habe-

tur essentia Sacrificii.

posse haberi in cõsecratione unius speciei, rectiùs tamen requiritur consecratio utriusque. Quia licet per consecrationem panis vi verborum præcisè poneretur solum Corpus, adeóque sine anima, & consequenter ut mortuum, non tamen ponitur ut violenter occisum, quod requiritur ad rationem Sacrificii, ut patet in occisione vitulorum, agnorum, aliárumque animantium in veteri Testamẽto, & Christi ipsius in Cruce. Hujusmodi autem Sacrificium cruentum si non physicè tale, saltem repræsentativè habetur perfectè in consecratione utriusque speciei, in qua totus Sanguis ad normam violentæ occisionis, & mactationis separatur à corpore, non quidem re ipsâ, nam Christus resurgens non moritur, sed vi verborum. Nam quantum est ex vi verborum ponitur Sanguis separatus à corpore. Deindè Eucharistia sub speciebus panis, quâ ratione datur Laicis, rectè dicitur unum specie Sacramentum, non quidem specie, physicè, sed moraliter completa: Nam tota spiritualis refectio, ob concomitantiam Sanguinis, animæ, ac cæterorum

2. Eucharistia sub solis speciebus panis data laicis, est unum specie Sacramẽtum.

rorum perfectè habetur sub una specie, adeóque censetur Laicus manducare Corpus & bibere Sanguinem Christi. Tertiò, sine falsificatione formæ particula hic nunquam potest accipi adverbialiter, quia pronomen hic significat substantiam contentam sub speciebus vini, quæ substantia sub talibus speciebus est indifferens ad quemcunque locum; adverbium autem hîc ex vi suæ significationis plus nõ significat, quam rem huic loco affixam esse, & nullo modo contentam sub speciebus panis: Per hoc enim quod Petrus dicatur esse hîc, nemo intelligit Petrum existentẽ sub speciebus panis aut vini, sed affixum huic & nõ alteri loco.

3. Pronomen, hic, in forma Calicis nunquã potest accipi adverbialiter.

Quartò. Materia post parietem, aut tergum posita non consecratur validè, quia non censetur moraliter præsens, cùm non possit demonstrari per tò hoc vel hic. Quod si tamen Sacerdos sic se flecteret, ut cerneret materiam post se positam, adeóque sufficienter per tò hoc demonstrare posset, utique validè, etsi ob irreverentiam illicitè consecraret. Ita DD. comm. Quintò, ne angaris circa pronuntiationem formæ, utrum

4. Materia post parietem vel tergum posita non consecrabitur. Quid si Sacerdos ita se inflecteret, ut cerneret materiam post se positam.

5. Non est faciendus scrupulus, sítne forma antehac historicè, an assertivè pronũciata.

eam dixeris historicè an assertivè, sufficiet te habuisse aut habere intentionem, formam pronuntiandi, quo modo Christus instituit. Imò si Sacerdos ex errore privato formam consecrationis semper pronuntiâsset historicè, adhuc censebitur validè consecrásse, quia intentio universalis faciendi, quod Christus instituit, præponderat errori privato. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 4.*

6. Christus manet sub speciebus Eucharisticis tamdiu, donec hæ sic mutentur, ut sub illis forma panis & vini, si adessent, naturaliter non ampliùs remanerent.

Sextò. Christus manet sub speciebus panis, & vini, etiam sub quavis minima parte tamdiu, donec illa specierum fiat mutatio, vi cujus, substantia panis, & vini naturaliter corrumperentur, id est forma panis & vini, si adessent, ab agente contrario per introductionem novæ formæ naturaliter expellerẽtur. Septimò. Probabile est, ut docet *Cajet. Suar.* & alii Eucharistiam toto tempore, quo durant ejus species in stomacho, causare gratiam, adeóque quo plures devotionis actus quis elicit, eo ampliorem acquirere gratiam. Causarum namque indoles est, ut pro ratione subjecti magis aut minus dispositi, magnum vel minorem effectum conferant, id inquam, quia probabile; hinc ta-

7. Eucharistia toto tempore, quo durant species, probabiliter causat gratiam.

men

men nō rectè inferes ob majus bonum ſpirituale, & augmentum gratiæ, licitum eſſe plures ſumere hoſtias, dum quis communicat, quàm unam, aut etiam communicaturo plures idcircò dare. Aliud, eſt ſi plures ſumerentur hoſtiæ ob neceſſitatem, aliámve juſtam cauſam, ut ſi v. g. renovandū eſt Sacramentum, & hoſtiæ antiquiores, ne corrumperētur, conſumendæ, aut ſi fortè in loco, in quo celebras, non eſſet occaſio reſiduas hoſtias decenter aut honeſtè aſſervandi. Ratio prioris eſt, quia ſumere plures hoſtias, quam unam videtur contrariari uſui antiquo Eccleſiæ in re gravi: Præterquam, quod ſi id licitum foret, plurimæ committerentur ſuperſtitiones & irreverentiæ contra tantum Myſterium. Neque obſtat major devotio ex diuturniore præſentia Chriſti, quia ſi quater quis communicaret una die, etiam foret major devotio, nec tamen id eſt faciendum; cùm non debeat negligi uſus Eccleſiæ, & melius ſit, rationabiles, & reverentiæ Chriſti debitas conſuetudines ſervare, quam imprudenti affectui devotionis indulgere (quod notent Sacer-

Non licet plures hoſtias ſumere ob majus bonum ſpirituale & gratiæ, augmentum.

Quid ſi neceſſitas aut alia juſta cauſa foret ſumendi plures.

Neque ob majorem devotionē.

cerdotes, qui Rubricis Missalis in Sacrificio, illegitimas devotiones intermiscent.) Interim, dum sacram Communionem distribuis, noli scrupulosè esse anxius, ne fortè communicanti des plures quam unam hostiam. Si enim præter intentionem darentur duæ hostiæ à Sacerdote Euch. distribuente; non est de eo magnoperè laborandum, cùm nõ sit nisi una Communio. Dixi tempore, quo durant species in stomacho, nam Eucharistiam propriè manducare & sumere cum ejusdem effectu secundum quosdam consistit in trajectione hostiæ aut partis illius ex ore versus stomachum, secundum alios in receptione ejusdem in stomachum, undè si quis hostiam solo ore exciperet nec deglutiret, probabiliter gratiam Sacramenti non reciperet. Vid. *Suar disp. 63, sect. 4. 5. & seq.*

Quid si præter intentionem darentur duæ hostiæ à Sacerdote Euch. distribuente.

CAPUT VI.

Statuitur Minister Sacramenti Eucharistiæ.

Ordinarius Minister est

ORdinarius Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos,

dos, extraordinarius in casu necessitatis est Diaconus, idque ex commissione Episcopi, aut Parochi v. g. si Parochus in magno Festo esset occupatus concionibus, aut confessionibus audiendis, poterit dispensationem Eucharistiæ committere Diacono. Vid. C. *præsente, dist. 92.* Hoc tamen vix practicandum judico, nisi id ferat consuetudo diœcesana, propter admirationem, & sermones populi. Imò in extrema necessitate si evidens sit mortis periculum, nec adsit Sacerdos, qui illam dispensare possit, rectè faciet Diaconus, si se & alios communicet, & quod amplius est, si in simili necessitate non esset, qui Eucharistiam ministrare posset, quam homo laicus, rectè is faciet, si ingressus templum lotis manibus, super pelliceo indutus cum lumine sacram Hostiam è Sacrario sumat, sibique aut alteri dispenset, hoc enim nec juri divino, nec Ecclesiastico in casu necessitatis repugnat, & si fortè aliquis textus videatur contradicere, is de extrema necessitate intelligendus non est. Vid. *Palaum tr. 21. punct. 12. Dian.* &c. Hoc tamen faciet Laicus, ut publicè dicat

solus Sacerdos, extraordinarius in casu necessitatis; Diaconus ex commissione Episcopi aut Parochi.

Quid si in casu extremæ necessitatis non adesset Sacerdos aut Diaconus, qui Eucharistiam ministraret.

cat se aliquando in scholis audivisse, Ecclesiam tam piam in filios esse matrem, ut in ejusmodi extrema necessitate, nunc quoque permittat fieri, quod antiquitus fieri solebat. Constat enim antiquitus per Laicos frequenter sacram Hostiam delatam fuisse; hâc quippè ratione tolletur occasio scandali. Unde si tu quoque veneris in discrimen vitæ, nec adsit Sacerdos, qui tibi præbeat hostiam, præbe tibi ipsi, quia in dispensatione hujus Sacramenti non est absolutè necesse, Ministrum esse distinctum à suscipiente. Imò quod amplius est, in magnis Festis si Sacerdos nequeat facere Sacrum, poterit ad solatium animæ suæ absente alio Sacerdote è Sacrario accipere sacram Hostiam, eamque sibi ministrare, in quo tamen scandalum aliorum, & offensionem semper cavebis. Vid. *Bonac. q. 5. punct. 1. Suar.* & alios.

Utrum Minister à suscipiente Eucharist. necessariò sit distinctus.

* * *
* *
*

CA-

CAPUT VII.

Assignantur requisita ad licitam Eucharistia dispensationem.

UT licitè dispenses & ministres Eucharistiam requiritur primò, ut sis præditus jurisdictione ordinariâ aut delegatâ in illum, quem communicas. Quod si fortè in aliena Parochia, aut templo celebres, & sub tuo Sacro adesset, qui Communionem peteret, noli angi, an hanc possis porrigere, potes enim in tali casu rationabiliter præsumere consensum Superioris istius, Ecclesiæ, in qua sacrificas. Vid. *Gob. tr. 4 cas 21 sect. 1.*

Quali jurisdictione præditus esse debeas in communicantem.

Requiritur secundò, ut non deferas ad infirmos, neque dispenses, nisi cum habitu decenti, id est cum stola, superpelliceo, vel alba, itemque lumine. Porrò præter lumen, seu cereum à latere Altaris incendendum, dum sacra Communio distribuitur; insuper præmittenda est Confessio generalis. Omittens tamen lumen, & generalem Confessionem secluso scandalo, & contemptu non peccabit graviter;

Quo habitu Ministro sit utendū: & an necessariò lumine, dum Euch. dispensat.

quod

quod adhuc verius est pro eo casu, quo post distributionem priùs factam accedit unus, alterve communicandus, si aut non repetatur confiteor, aut non accendatur cereus, quamvis ut rectè docet. *Gob l. c. sect. 2.* Ita fieri oporteret, nisi fortè quis dicat hanc posteriorem distributionem cum priori sic conjunctam videri, ut cum illa moraliter unam faciat; præsertim cum in Ministro difficultas sit ab illo obtinendi repetitionem confiteor, & accensionem luminis. Vid. *Dian. part. 10. tr. 10. resol. 80. Suar.* & alios.

Quo incessu deferenda sit Euch.

Tertiò ut, quando defers augustissimum Sacramentum, id facias incessu gravi: Neque enim decet Sacerdotem in habitu sacerdotali cum hoc Sacramento per publicum currere. Negant tamen *Diana art. 10 tr. 16. res. 80.* &c. committi indecentiam, modo absit periculum lapsus, & veri, non autem Pharisaici scandali. Et si quis fortè esset, qui te currentem rideret, cogita illud *Apost. 1. ad Cor. 4. Nos stulti propter Christum.* Festinabis igitur quantum decentia permittit, & infirmi necessitas exiget. Dixi non decet per publi-

cum

cum currere, nam si absque habitu sacerdotali clam in sinu portares Eucharistiam corporali, aut pixidi inclusam, facilius cursus permitti poterit. Porrò Eucharistiam in sinu clam portare ad infirmos, vix tibi licebit ob reverentiam augustissimi Mysterii, & auctoritatem Ecclesiæ contrarium præcipientis, nisi gravis te causa excuset. Scio contrariam quorundam virorum timoratorum praxin, qui, facti imitatores Beatissimæ Virginis, Filium suum per vicos & plateas clam in sinu deportantis, arbitrantur ob solum solatium, ac devotionem infirmi, cui, quia solebat frequentius communicare, admodum difficile est, ab ea consuetudine penitus recedere, sibi licitum esse clam Eucharistiam in sinu ad infirmos deferre; aut certè, ut præcepto Ecclesiæ solum aliqua ex parte satisfaciant, credunt prudenter, & providè se agere, dum superpelliceo & stola induti sicque pallio honestè tecti, socio pariter modicum lumen occultè præferente, augustissimum Sacramentum ad infirmum deportant; præsertim cùm admirationes, dicteria vicinorum, si videant

Utrum Eucharistia in sinu clam portare liceat ad infirmos.

deant eundem sæpius communicare, justam videantur præbere causam clam in sinu vel certè occultè, modò paulò ante insinuato, deferendi sacram Communionē. Pro hac praxi videntur stare sequentes rationes. Primò, si ut asserit *Medulla P. Busenbaum lib. 6, tr. 3. de Euch. c 1. dub. 1. art 2.* Secundum quosdam Eucharistia clam deferri potest; quando est tempestas, aut iter faciendum, cur non poterit deferri ob evitandos sermones, risus, ac censuras vicinorum. Cùm hæc morali judicio videantur æquivalere physicæ cœli aut aëris tempestati. Secundò, si ex sententia valdè probabili infirmo licitum est ex sola devotione communicare, fracto jejunio, ut videre est in *cit. Medull. Busenb. lib. 6, tr. 3 de Euch. cap. 2. dub. 2. pag* 681. Cur non liceat ex eadem causa privatæ devotionis, clam deferre Euch. ad infirmum. Cùm utrumque sit juris positivi Ecclesiastici: Et leges humanæ non obligent, quando sine gravi incommodo servari non possunt, quale in utroque casu est magna difficultas infirmi, qui assuevit ad frequentem communionem. Verùm

rùm hæ rationes quantum habeant probabilitatis, & an sint ejusmodi, ut permittant supradictam praxin, cui obstare videtur lex Ecclesiæ statuentis, ac præcipientis sanctissimum Sacramentū deferri in habitu Sacerdotali, cum lumine, id prudens lector judicet. Certius tamen est jam dictâ praxi Eucharistiam deferri posse in locis hæreticis, ubi etiam secluso scandalo porrigi poterit sine stola, & superpelliceo. Licebit etiam tibi equo mansueto uti ad deferendam Eucharistiam, si ratio temporis, distantia loci, periculum ita suadeat. Vid. *Gob. l. c. sect.* 2 &c.

An Ministro Euch. deferenti equo uti liceat.

Quartò ut canonicis seu consecratis digitis sacram Communionem dispenses; si tamen ex justa causa fieret contrarium, non videtur peccari saltem graviter, nam tangens scienter hostiam digitis non canonicis etiam absque causa, non videtur committere irreverentiam saltem gravem, tota námque manus censetur consecrata, quando Sacerdos initiatur. Imò neque Laicus adhærentem palato hostiam peccabit graviter, si immisso in os digito eam reverenter solvat, præsertim quando commodè

Quibus digitis Euch. sit ministrāda.

Peccabítne laicus hostiam palato adhærentē digito reverenter solvendo.

modè eam aliter ſolvere non poteſt ; ac dein digitum lambat & propriâ ſalivâ decenter abluat. Quod ſi tamen ſalivâ aut linguâ ſolvi poterit , id utique faciet.

Quo ritu Euchariſt. ſit diſtribuenda.

Quintò, ut non diſpenſes niſi juxta ritum in Eccleſia Catholica uſitatum. Undè infirmo ob linguæ ariditatem non dabis Euchariſtiam ſub ſpeciebus vini , nec homini laico hoſtiam majorem; hæc enim contrariantur ritibus Eccleſiæ. Eſt tamen in neceſſitate permiſſum, ut magnam hoſtiam in aliquot partes decenter diviſam inter communicantes diſtribuas. Nullo modo autem opus eſt , ut infirmo, qui hoſtiam commodè deglutire non poteſt, præbeas integram hoſtiam minorem , ſed ſufficit dare parvam particulam , & quidem in liquore v. g. vino , ſi abſque hoc deglutire nequeat ; eſto ſit moraliter certum liquorem citiùs deſcenſurum, quia talis cenſetur non poſſe jejunus communicare. Vid. *Tann. tom. 3. diſp. 3. q. 8.* Nunquam autem licebit tibi ſacram Hoſtiam deferre ad eandem conſpiciendam , adorandam ab infirmo. Vid. *Congreg. Cardin. in Trid. Seſſ. 3. Can. 7.* Quod ſi dubium ſit

Utrum Euchariſt. deferri poſſit ad infirmũ, ut videat illam & adoret.

an

an æger sit capax sacræ Communionis, licebit tibi illam ægro deferre ; quia forsan communicare poterit, si nequeat, ostendere illam poteris ipsi adorandam , sed non osculandam. Id quippè repugnat praxi Romanæ Ecclesiæ & reverentiæ Sacramento debitæ. Vid. *Cardin. de Lugo lib. 1. cons. mor. dub. 11. Barb* &c. Sicut & repugnat juxta *Concil. Trid. Sess. 25. cap. 10*. Si intra clausura monialium Eucharistia asservetur. Non est tamen illicitum sacram Hostiam deferre ad restinguendum incendium, aut sedandam gravem aliquam tempestatem , cùm id confirmat *P. Gob. tract. 4. c. 21. sect. 1.* raro & felici quodam eventu , nec de contraria prohibitione nobis constet. Sextò, ut non dispenses iis , quos Lex divina vel Ecclesiastica ab hoc angelico pane jubet abstinere, qualis sunt omnes illi , qui vel ex parte animæ vel corporis sunt indispositi ad dignè suscipiendum hoc Sacramentum.

An intra clausura Monialium Euch. asservari possit.

Aut deferri ad restinguendum incendium vel sedandã gravem tẽpestatem.

Quibus Euch. dispensari possit.

Est comm. DD. : Quod si ex sola confessione constaret indignitas communicantis , non dabis loco Hostiæ consecratæ, esto ipse communicans consentiat , Hostiam

Quid si ex sola confessione constet indignitas

non

communicantis.

non consecratam. Fuerunt quidem authores nonnulli, qui existimabant hoc fieri posse, si & pœnitens consentiret, & Sacerdos una cum Hostia non consecrata, teneret aliam consecratam, ut circumstantes debitum objectum suæ adorationis haberent. Horum tamen sententia probanda non est, quia Sacerdos hoc faciens, quantũ in se est, facit circũstantes idololatras, quia hancHostiã credunt esse consecratam, adeóque quà talem adorant. Adde quod simulatio ac fictio in re tanti momenti omninò aversanda sit. Vid. *S. Thom. q 80. art. 6. ad 2.* Quod si peccator publicè infamis subitò incideret in mortis periculum; ut in illo statu ipsi Communio præberi possit, sufficiet pro temporis conditione eum ritè confiteri, aut si nequeat, certa signa contritionis ostendere. *Suar. disp. 67 sect. 2. Tann.* &c. Et si in jam dicto periculo se reum negaret ejus criminis, cujus gravi suspicione laborat, ipsi potius fides habenda erit in tali articulo, quam aliis, ac proinde danda communio, adhibitâ nihilominus seriâ admonitione, ut, quò ad poterit, tollat deinceps occasio-

Aut peccator publicè infamis subitò incidat in periculum mortis.

nem

nem suspicionem, & scandalorum. Vid. *Gob. tr. 4. c 21. sect. 1.* Denique requiritur, ut non sit in censura aliqua Ecclesiastica, quæ prohibeat Sacerdotem ab hoc Ministerio. De confessione & statu gratiæ prærequisito dicetur infra.

Euch. an asservanda sit cum lumine in Ecclesia.

Parochus, ut Eucharistiam opportunè petentibus possit submistrare, tenetur illam asservare cum lumine in Ecclesia, & non alibi. Et quidem si eo sciente, & consentiente lampas ante Venerabile integro die non ardeat, videtur graviter peccare, quia Paulus V. in suo rituali mandat continuò ardere lampadem, & Theologi passim rigidè exigunt, ut tempore Sacrificii lumen sit semper accensum; quorum ratio facilè accommodabitur Eucharistiæ in templo asservatæ. Pluribus tamen locis partim ob inopiam, partim ob longam consuetudinem hæc doctrina tam severè non observatur, quam etiam universaliter in tanto rigore non esse admittendam censet. *Gob l. c. sect. 1. Marchant.* &c.

CAPUT VIII.

Quid Religiosis liceat circa Eucharistiæ dispensationem.

Poterunt illam ministrare cuivis fideli in suis Ecclesiis: Insuper dare facultatem simplici Sacerdoti illam isthîc præbendi.

RElegiosi mendicantes per privilegia tum Corpori juris inserta, tum particularia possunt Eucharistiam in suis Ecclesiis præbere cuivis fideli, imò etiam alteri simplici Sacerdoti dare facultatem illam isthic præbendi. Vid. *Suar Tom. 4. de Relig tr. 10. l. 9. c. 3. Kon.* &c. Quæ facultas etiam à Sacr stano concedi potest, ut docet *Henriq. Sa. Pa'aus, tr. 21. punct. 19.* Excipe hinc festum Paschatis, itemque articulum mortis, in quo id religiosis neque per se neque per alium licet. In certis tamen casibus licebit, in quibus aut jus Parochorum non læditur, ut fit in iis, qui præcepto Communionis Paschalis satisfecerunt, aut in quibus Parochi rationabiliter non possunt esse inviti, ut si adesset gravis aut extrema necessitas absente Parocho. Vid. *Fagund. præcep. 3. l 3. c 2.* Possunt tamen Episcopi prohibere regularibus,

Quid istis liceat in festo Paschatis vel in articulo mortis.

re

ne ipsâ Dominicâ Resurrectionis ulli Eucharistiam administrent, etiam illis, qui antea præcepto satisfecerunt. Ita enim habet expressa Declaratio Cardinalium Anno 1644. cui Declarationi subscripsit Innoc. X. temporis illius Pontifex. Probabile etiam est extra Dominicam Resurrectionis in Ecclesiis Regularium quovis alio die intra tempus Paschale posse satisfieri præcepto Communionis. Nititur enim sententia ista probabilibus rationibus, præsertim cùm non satis constet de mente Pontificum, an festum Paschæ acceperint materialiter an formaliter, id est, an acceperint pro sola Dominica Resurrectionis, an pro toto tempore Paschali, habétque hæc sententia probatos pro se authores. Nec obstat Declaratio sacræ Congregationis, quæ hoc ipsum videtur prohibere Religiosis: Cùm enim verba dictæ Congregationis sint ejusmodi, ut in utramque partem ab eruditis probabiliter disputentur, poterit quisque illa interpretari juxta sensum sibi magis favorabilem. Judico tamen hanc sententiam in usum non esse deducendam, si

per eam daretur occasio admirationis in populo, vel querelarum in Prælatis aut Parochis. Quæ si absint, licitè eandem sequêris. Vid. *Tamb. in Meth. Comm. c. 4. §. 4.*

CAPUT IX.

Quid circa Communionem puerorum aut puellarum observandum.

Omnes fideles post usum rationis adeptũ tenentur communicare in articulo mortis & extra hũc articulum semel in anno, idque festo Paschatis.

CUm antè adeptum rationis usum nemini sit porrigenda Eucharistia, pro ut patet ex praxi præsentium temporum; post usum verò rationis omnes certis temporibus ad sumendum hoc epulum graviter sint obligati, & quidem in articulo mortis per modum viatici, quo confortati ingrediantur viam æternitatis. Vid. *Vasq. Tom. 3. in 3. part. disp. 214.* & alios, extra hunc verò articulum saltem semel in anno, idque in festo Paschatis: Nam *in Can. de pœn. & remiss., Omnis utriusque*, &c. præcipitur; ut omnes fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, confiteantur semel in anno, si sibi sint conscii peccati mor-

mortalis, & suscipiant reverenter Eucharistiæ Sacramentum. Censentur autē illi pervenisse ad annos discretionis, qui noverunt discernere inter bonum & malum, seu peccare mortaliter. Vid. *Pala. tract. 3. disp 1. punct 24 §. 2.* Undè licet aliquis quidem usus rationis communiter sit in pueris ac puellis statim post expletum septennium, prout indè patet, quod sponsalia exacto primo septennio à jure supponantur subsistere, nisi fortè post pubertatem pet alterutrius pœnitentiam dissolvantur. Hæc autem juris suppositio non foret legitima, nisi in illa ætate jam adesset aliquis rationis usus. Vid. *Cap literas, & cap. accessit de despons. impub.* Incertum tamen est, ut docet *Suar. & alij*, quâ ætate pueri incipiant doli esse capaces, sive pertingant ad plenum rationis usum, & discretionem necessariam ad peccandum mortaliter. Quæ quidem discretio quibusdam anno octavo aut nono, aliis decimo, aut duodecimo, quibusdam vix decimo quarto, communiter tamen omnibus inter decimum & decimum quartum contingit. Pro pueris igitur

Quinam dicendi sint pervenisse ad annos discretionis:

Et quo anno ætatis, pueri aut puellæ hos annos attigerint.

Pueri germani aut puellæ utrũ possint differri ad unũ alterúmve annum post sufficientẽ intelligentiam rerum ad Euch. spectantiũ.

igitur germanis, itemque puellis communicaturis obsèrvabis sequentia. 1. Potest differri Communio in unum alterumve annum etiam postquam talis puer satis est intelligens rerum ad illam ritè obeundam spectantium. Decet enim, ut ad hoc augustissimum Mysterium, cui singularis debetur reverentia, his præsertim temporibus, quibus ab hæreticis contemnitur, pueri tam immaturi non admittantur. Adde quod *Henriq. Sotus, Val. tr* 21. *punct.* 10 & alii negent præceptum annuæ Communionis extendi ad nondum egressos annum ætatis undecimũ. Secundò, Non delinquunt, qui territorii consuetudinem secuti abstinent usque ad annum decimum quartum. Vid. *Cajet. V. comm. Henriq.* & alii contra alios. Fortè quia majores talium locorum sibi persuaserunt pueros vix ad annos discretionis citiùs pertingere, quam expleverint annum decimum quartum: Laudabiliter tamen faciunt Parochi, qui hanc consuetudinem, ubi plebs est docilior, emendare student; præsertim cùm hæc consuetudo *cit. can.* omnis utriusque, contrariari videatur,

Quid si alicubi consuetudo obtineat, ut non admittantur ante annum decimum quartum.

deatur, eo quod anni discretionis maturiùs adesse soleant. Tertiò, Pueri, puellæque ad sacram Communionem passim non admittantur nisi inter annum decimum, & decimum quartum, rarò post duodecimum, & rarò ante decimum, quia in rebus dubiis observari solet, quod plerúmque fieri consuevit. Intra præfatos autem annos decimum scilicet & decimum quartum apud nos Germanos fieri solet, ut parvuli ad plenum rationis usum pertingant, & doli capaces esse incipiant, undè nisi peculiaris ratio obsistat, securè observabitur terminus intra duos supra nominatos annos, Vid. *Tann. disp 5. q. 8.* Quod etiam citra scrupulum servabis circa pueros maturioris ingenii, quia ad illa debet aptari jus, quæ frequenter eveniunt. *L. nam ad ea §. de leg.* Quæ omnia ex eo lucukentiùs confirmantur, quod supradictus Canon præcipiat, ut fideles reverēter suscipiant sacram Communionem; quam sufficientem reverentiam jam dicti anni in pueris ac puellis opportunè conciliabunt. Et quidem quæ hactenus dicta sunt etiam locum habent

Intra quos ætatis años passim admitti possint.

Quid dicendum de puero maturioris ingenii:

Aut moribundo.

bent in pueris moribundis. Ita probabiliter *Nav. cap 21 n. 57. Vasq.* cum aliis, quia obligatio divini præcepti, quo obligamur ad Communionem non citiùs oritur, quam obligatio præcepti Ecclesiastici. *Suar.* tamen, *Rhodes Tom. 2. Theol. Scholast. disp. 1. de Eucharistia q. 3.* cum aliis censet puerum puellamve Sacramentalis Confessionis capaces, in extremis esse necessario muniendos sacro Viatico. Quæ sententia utpotè magis pia, ubi commodè potest, in usum non malè redigetur; præsertim si petat sacram Communionem puer octennis, aut novennis.

CAPUT X.

De Communione in Paschate, & mortis articulo à fidelibus facienda.

Qui dies nomine Paschæ intelligantur.

CUm superiùs dictum sit, omnes fideles ad minus in Pascha teneri suscipere sacram Communionem; sciendum est, nomine Paschæ jure communi eos intelligi dies, qui numerantur à die Palmarum

marum usque ad Dominicam in albis inclusivè, ita ut quolibet horum dierum possit præcepto satisfieri. Quamvis alibi tempus Paschale totam Quadragesimam complectatur, aut etiam in quibusdam locis duas hebdomadas ante Pascha, & duas post comprehendat. Potéstque Confessarius ex justa & ob notabile incommodum pœnitentis rationabili causa hoc tempus extendere. Vid. *Bon disp. 4. q. 7 p. 2. Sa.* & alios. Ubi nota, si contingeret festum Annuntiatæ Virginis, aut alterius cujusdam Sancti, in Sabbatham præcedens Dominicam Palmarum anticipatò transferti, communicans in ejusmodi Festo satisfaciet præcepto Ecclesiæ, ut *Gob. tr. 4 cas. 3.* probat ex rationabili & præscripta consuetudine, præterquam quod parùm distat, nihil distare videatur, & taliter communicans moraliter videatur facere Communionem intra tempus Paschale. Qui tempore Paschatis vel noluit cùm posset, vel non potuit, cùm vellet communicare, secundum *Sylv. Henriq.* &c. non tenetur compensare omissam Communionem, secundum *Laym. Bonac.* &c.

An Confessarius tempus paschale possit extendere.

Quid si sabbatho præcedente dominicam Palmarum festo eo die occurrente quis communicaret.

Impeditus in Paschate an alio tempore teneatur communicare.

&c. tenetur : Nam quando præceptum aliquod, unum præcipit principaliter, alterum verò secundariò, etsi hoc quod secundarium est, negligatur, aut servari non possi, debet tamen impleri, quod principale est. Sicuti Confessarius præcipiens jejunium die Sabbathi, si pœnitens eâ die non jejunet, debet aliâ jejunare. Sic principalis Ecclesiæ intentio videtur esse obligandi fideles ad Communionem singulis saltem annis semel sumendam; secundariò autem determinat tempus Paschale. Similiter qui prævidet se impediendum à sacra Communione in Paschate, secundum quosdam tenetur prævenire, & alio die communicare, secundum alios non tenetur, utrúmque probabiliter. Vid. *Azor. Tom.* 1. *l.* 7. *c.* 41. *q. ult. &c.* Alii tamen rectiùs cum *Laym. lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 5. ita distinguunt; aut jam semel illo anno communicasti, aut non, si communicasti, non est juxta Superiorem sententiam obligatio præveniendi; si non communicasti, obligaris, quia delinques contra præceptum, non quidem Paschalis, sed annuæ Communionis:

Aut prævidens se impediendum tempore Paschatis.

nis : Tenemur quippè singulis annis adire semel sacram Communionem, & hæc distinctio maximè probanda est. Nullo autem modo satisfit præcepto Paschali per Communionem sacrilegam, id est indignè sumptam. Vid. *Sent. damn. ab Innoc XI. n 55.* Debet autem Communio Paschalis sub gravi obligatione fieri in Ecclesia Parochiali, dum enim jubemur eam percipere de manu Parochi, id sanè alibi fieri non potest, quam in Ecclesia Parochiali, quod intellige, nisi ex privilegio vel proprio vel alieno tibi alibi communicare liceat v. g. in Ecclesia Regularium. Possunt tamen excusari, qui in Ecclesia Cathedrali communicant, ubi non constat de contraria legitima consuetudine. Eò quod in hac Ecclesia adsit Episcopus totius diœcesis Pastor. Vid. *Tamb. in Meth. comm. cap. 4. §. 4.* Sic etiam excusantur ii extra Parochiam communicantes, in quibus prudenter præsumi potest tacitus consensus Pastoris, qualis subindè, etsi non semper præsumi posset in militibus præsidiariis, aulicis, studiosis, aliisque. Vid. *Laym l. 5. nu. 4. cap. 7.*

An præcepto paschali satisfieri possit per Communionem sacrilegam.

Quo loco communio paschalis fieri debeat.

Quid dicēdum de illis in quibus prudenter præsumitur consensus Pastoris :

num. 4. Medull. Buſ. Lib. IV. tr. 2. de Euch. c. 1. d. 1. p. 166. Tamb. l. c.

Item de advenis, peregrinis, vagis.

Similiter excuſantur advenæ, peregrini, vagi, qui ob diſtantiam nequeunt adire propriam Parochiam. Hi enim ſatisfacient communicando vel in Parochia, in qua ſunt, vel certè in Eccleſiis Regularium, & licet Authores hos non obligent ad communicandum extra Parochiam, longè tamen probabiliùs eſt eos ad hoc teneri juxta commune adagium: Qui non poteſt facere, quomodo tenetur, tenetur facere modo, quo poteſt. Vid. *Gob. tr 4. caſ 5.* Cæterum pœna, quæ ſtatuitur negligentibus annuam vel Paſchalem Communionem, ut nimirum vivi arceantur ab Eccleſia, mortui Eccleſiaſticâ ſepulturâ priventur, non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ. Quare Parochi, cum jurisdictione in foro externo careant, non facilè alicui eam inferre debent, niſi priùs monito, & jubente ordinario, præſertim ſi omiſſio Confeſſionis vel communis aliquâ cauſâ excuſari poſſe videatur. Inſpiciendæ etiam ſunt in ea re ſpeciales Diœceſium conſuetudines. *Gob. loc. cit. caſ. 3.* Quod autem vult

Qualis pœna ſtatuta in negligẽtes annuam vel paſchalem Communionem. Quid circa hanc ſervandum Parochis.

Gavant.

Gavant p. 4. Tit. 1. n. 8. Omnes Sacerdotes Feria V. in Cœna Domini teneri communicare de manu Superioris repræsentantis Christum, in ultima Cœna suos discipulos communicantem. Id alii negant respondentes verba Congregationis id jubentis Anno 1606. à præfato Authore allegata, non inducere vim obligationis, eo quod hæc Declaratio non obtineat vim legis ob defectum unius aut plurium Conditionum necessariarum ad hoc, ut Declarationes Cardinalium habeant vim legis. Profectò in Germania vel ignoratur hæc Declaratio vel usu tecepta non est tanquã obligatoria. Nam plures Germani Theologi docent licere cuivis Sacerdoti eo die privatim Sacrum celebrare. Sacerdos autem more laico communicans etsi conformiter consuetudini Ecclesiæ stolam induere debeat, hanc tamen omittens non peccabit saltem graviter. Vid. *Barbos. de Parochi. c. 20.* Item *Henriq Bonac.* &c. testantes hunc stolæ usum alibi non observari. Sicut autem fideles in Paschate sub gravi obligatione tenentur communicare; Ita graviter quoque obligantur ad

Utrum omnes Sacerdotes teneantur feria V. in Cœna Domini communicare.

Sacerdos more laico communicans an peccet omitendo stolam.

Qualiter

fideles obligentur ad sumendam Euch. in articulo mortis.

sumendum in articulo mortis sacrum Viaticum, id est, quando sunt in periculo mortis vel certo vel probabiliter imminentis, nisi fortè paucis v. g. octo diebus ante sacram Eucharistiam sumpsissent: Talis enim sumptio habetur pro sūptione Viatici secundum *Suar. de Euch. disp. 69. sect. 2.* &c. Contra *Dianam part. 5. tr. 3. resol. 33.* &

An manè cōmunicans si sub vesperum incideret in periculum mortis, iterum communicare teneatur.

quosdam alios, qui non improbabiliter volunt eum, qui manè sumpsit sacram Communionem nihil cogitans de morte, si sub vesperum incidat in periculum mortis, iterum teneri communicare, sacrámque Communionem sumere per modum Viatici; verùm hæc obligatio ab aliis non agnoscitur, imò probabiliùs judicant, id non licere, quia Ecclesia nec tacitè nec expressè unquam excepit hunc casum improvisæ mortis à communi lege, quâ jubemur Eucharistiam tantum semel & jejuni sumere. Interim non caret probabilitate sententia, quæ permittit in prædicto casu duplicem unius diei Communionem. Vid. *Quintanadv. de Euch. Sing. 9. num. 6.* &c.

CA-

CAPUT XI.

Quid dicendum de perpetuò amentibus, semifatuis, surdis simul & mutis.

PErpetuò amentibus nunquam præbenda est Eucharistia. Vid. *Tamb. in Meth. Comm. c. 4. §. 1.* Si tamen aliquando rationis compotes, & rerum divinarum gnari fuerint, potest & debet illis dari in articulo mortis, modò absit periculum irreverentiæ, nec constet de eorum statu in peccato mortali. *S. Thom. 3. p. q 80 art 9. &c.* Censendi etiam sunt illud Sacramentum petiisse, hoc ipso, quod aliquamdiu piè vixerint. Semifatuis, qui infirmo rationis usu imbuti sunt, sufficienti tamen ad Absolutionem Sacramentalem, in Paschate & extremo agone Communio præberi potest; imò extra hæc tempora juxta prudens Confessarii judicium dari sæpiùs poterit pro ratione ætatis, institutionis, modestiæ, &c. Vid. *Tann. Gob. tr. 4. cas. 7.* Surdis, & simul mutis potest sacra Communio dari in Paschа-

Perpetuò amentes nunquam sunt communicandi.

Quid si aliquando rationis compotes, & rerum divinarum gnari fuerint.

Quando semifatuis communio dari possit.

Item surdis & simul mutis.

Paschate & mortis articulo, si industria domesticorum ita sint informati, ut licet fortè non capiant omnia ad hujus Sacramenti substantiam pertinentia, non tamen ad illud accedant tanquam ad cibum profanum, sed spiritualem, institutum pro salute animæ: & hoc sufficit, ut possit illis dari Eucharistia in ætate competente, an autem sæpiùs dari possit, id decernat Confessarius, pro ratione modestiæ & aliarum circumstantiarum. Vid. *Laym. de Eucharist. c. 4. Pal. tr. 21 p.* 10. &c.

CAPUT XII.

De dispositione animæ ad dignè suscipiendam Eucharistiam.

Existenti in peccato mortali præmittenda est confessio.

AD dignè suscipiendum hoc augustissimum Mysterium requiritur ex parte animæ tanquam necessaria dispositio status gratiæ. Proinde existenti in mortali ante sumptionem Eucharistiæ necessariò præmittenda est Confessio, etsi probabilissimè se credat esse perfectè contritum. Vid. *Trid. sess 14, c. 7.* Excipe nisi sit neces-

An aliquando sufficiat

sitas

sitas communicandi aut celebrandi & desit Confessarius, illo enim casu sufficit esse contritum. Cæterum is, qui dubitat utrum peccarit mortaliter, non necessariò confitebitur, quia Trid. solum loquitur de iis, qui sunt conscii peccati mortalis. Nemo autem dicet ejus se esse conscium, de quo dubitat. Vid. *Henriq. l 8. c. 45. Sa.* & alios contra alios, quorum sententia tutior est & probabilior: Multò autem minus ad Confessionem obligabitur, qui dubitans habet opinionem probabilem se non peccâsse mortaliter; etsi hæc opinio etiam minus probabilis videatur eâ, quâ opinatur se peccâsse graviter, quia sequitur sententiam probabilem. Vid. *Melch. Flavium in 4 dist. 9.* Qui ante Communionem deprehendit illud peccatum, de quo se sub dubio accusavit esse certum, probabiliter non tenetur redire ad Confessionem. Talis enim directè absolutus fuit ab illo peccato, adcóque non apparet necessitas recurrendi ad novam Absolutionem. Vid. *Tamb. in Meth. Confess lib 2 cap. 1. punct. 2.*, *Pellizar.* Contra *Dian p. 9. tr. 3. res. 6.* & alios, qui censent ad

sola contritio.

Quid si quis dubitet de peccato mortali.

Deprehendens peccatum, quod sub dubio confessus est, esse certum, utrum teneatur redire ad confessionē.

Quid faciet, qui adhibitâ debitâ diligentiâ ad confessionẽ requisitâ, leviter dubitat, de peccato gravi fortè in confessione omisso.

ad Confessionem recurrendum esse, quod utique tutiùs est. Ubi simul studiosè observa, eum, qui solicitè se parat ad Confessionem, eámque etiam cum debita diligentia exequitur, si illi occurrat leve dubium de aliquo peccato gravi fortè in Confessione omisso, poterit præsumere id à se ritè confessum fuisse, idem est in aliis, qui v. g. solent solicitè Horas recitare, aut quæ vovent exequi: ii enim rectè præsument occurrente levi dubio se omnia ritè expleviſſe. Talis enim habet præsumptionem pro se fundatam in communiter contingentibus, ea enim præsumimus facta, quæ communiter fieri solent, adeóque in his maximè valet regula juris. In dubio factum præsumitur, quod de jure faciendum erat, id est, quod ex officio, & legitima obligatione faciendum erat, id vel maximè factum præsumitur, quando operans in officio & obligatione implenda non solet esse negligens. Vix enim fieri solet, ut hujusmodi homo negligat, quæ sibi facienda incumbunt. Si quis tamen negligens esset in iis explendis, quæ sunt obligationis

suæ,

ſuæ, qualis certè ſunt plurimi, de his valet altera regula, in dubio factum non præſumitur, ſed probari debet, & hoc eſt, quod volunt aſſerere Doctores, quando in dubio legis aut voti, &c. dicunt legem eſſe in poſſeſſione, adeóque dubitanti probandum eſſe, à ſe legem impletam fuiſſe. Ita DD. comm. Quod attinet ad peccata venialia, hæc non impediunt Communionem, imò per ſe loquendo, ne quidem peccat venialiter, qui conſcius plurium venialium nullo dolore aut confeſſione præmiſsâ, abſque tamen complacentia & affectu ad illa, accedit ſacram Communionem. Dixi per ſe, quia poteſt fieri Communio venialiter culpabilis propter malam circumſtantiam v. g. malum finem, puta vanam gloriam, &c. ratio jam dictæ ſententiæ eſt, quia ſpectata hominum fragilitate, & venialium peccatorum tenuitate fideles non videntur obligari ad hanc ſpecialem reverentiam, nullas habendi veniales maculas. Vid. *Tann. Tom. 4. diſp. 5. q. 8. Rhodes, Suar.* & alios. Verùm contraria ſententia multò mihi probabilior videtur, quia irreverentia cenſetur eſſe

Utrum peccata venialia impediant communionem.

esse cum ejusmodi maculis quamvis levibus, quasi cum veste nuptiali aliquantùm sordida, tanto convivio interesse, præsertim cùm sæculares omnem à se maculam arceant, principalem mensam accessuri. Vid. *De Lugo de Euch disp. 14. sect 2.* &c. Proin summam, quam potes, ad hoc divinissimum epulum, affer cordis munditiem. Et licet quædam ex jam dictis sententiis videantur probabiles, tu tamen ipse cautè illis utêris, nec alios facilè juxta illas diriges, præsertim si fuerint tenerioris conscientiæ, quibus ea, quæ modò dicta, facilè scandalo esse possunt. Undè licet dubitans de peccato mortali probabiliter non teneatur hoc dubium confiteri, tutiùs tamen erit, & multò probabiliùs, ac reverentiæ Sacramenti convenientiùs, si hoc dubium peccatum per Confessionem expietur. Eadem ratio est de his, quæ diximus

de peccatis venialibus non necessario dolore aut confessione expiandis.

* * *
* * *
†

CA-

CAPUT XIII.

Explicatur necessitas celebrandi aut communicandi, quæ in defectu confessarij excusat communicaturum, à confessione mortalium necessariò præmittenda.

DIctum est superiori capite, nisi sit necessitas, & desit confessarius, ubi nomine necessitatis non intelligitur qualiscunq; sed gravis, & urgens, qualis ferè esse solet in triplici jam dicendo casu. Primò, quando Sacerdoti ex officio incumbit celebrare, & ipsi deest copia Confessarii. *Trid sess 13 c 7.* Ita Parocho ex officio incumbit celebrare festis & dominicis, item pro defuncto præsente, aut benedictione nuptiarum, vel cùm pro moribundo debet conficere viaticum, similiter quando Sacerdos simplex rogatur ab aliis, die festo non habentibus, qui ipsis Sacrum legant, aut quando ipse carere deberet sacro die festo, vel tempore Paschatis omittere Communionem paschalem. Quamvis id alii negent arbitrantes præceptum juris divini, quale esse volunt

Non sufficit necessitas qualiscunq; sed gravis & urgens.

Erítne talis, quando Sacerdoti ex officio incumbit celebrare.

Aut quando Sacerdos cogitur carere sacro die festo, vel communione paschali.

lunt de præmittenda confessione ante Communionem, præferendum esse præcepto Ecclesiastico de Sacro aut Communione paschali; Verùm non est certum confessionem mortalium Communioni esse præmittendam vi præcepti divini, imò probabile est solùm id fieri debere præcepti Ecclesiastici, ut docent *Suar. Less.* & alii contra plures recentiores. Vel denique quando accepit stipendium, pro dicendis Missis, & hæ differri non non possunt, aut Capellanus ratione Capellaniæ tenetur facere Sacrum. In his enim casibus censetur Sacerdoti probabiliter incumbere celebrare ex officio. Quæ tamen omnia ita intelligenda videntur, si videlicet non possit aliũ facilè substituere. Vid. *Gob tr. 4. cas. 16.* Secundò, quando inchoato jam Sacro vel recordatur peccati mortalis ante admissi, vel novum committit. Non enim tenetur recedere ab Altari ut confiteatur, quia vix sine scandalo fieri potest talis recessus, & nimis indecorè Sacrum abrumpitur per recessum ab Altari. Neque tenetur advocare ad se Sacerdotem, cui confiteatur, ob utramque jam dictam

Aut quando accepto stipendio pro dicendis Missis, hæ differri non possunt.

Quid si in his casibus alium facilè possit substituere.

Vel quando Sacerdos jam cœpto Sacro recordatur peccati mortalis, aut novum admittit.

ctam causam, nisi fortè habeat Sacerdotem alium sibi ministrantem, vel Sacrum interrumpatur Concione, atque ita sine incommodo confiteri valeat. Tertiò, quando Laicus nequit omittere Communionem sine ignominia & gravi nota, ut si in scamno cõmunicantium recordetur mortalis, ante vel post ultimam Confessionem commissi; Atque in his casibus jam dictis, loco Confessionis præmittenda erit Contritio: Quod si tamen ob brevitatem temporis, aut mentis perturbationem, urgente necessitate communicandi, non possis conteri, adhibito conatu conterendi, excusaberis à peccato; quamvis eo casu, utpotè indispositus, gratiam non accipies; nisi fortè credens te esse contritum, sis duntaxat attritus: Jam etiam ex probabili plurium sententia gratiam obtinebis. Si recorderis peccati mortalis ante ultimam Confessionem admissi, non teneberis de illo in prædictis circumstantiis novum dolorem elicere; si ante Confessionem elicueris dolorem, ex motivo extendente se ad omnia peccata, & consequenter ad illud

Aut denique, quando laicus sine ignominia & gravi nota nequit omittere cõmunionem.

Eritne in similibus casibus præmittenda contritio.

Quid si ob mentis perturbationẽ non possis conteri.

Quid si recordetur peccati mortalis ante ultimã confessionem admissi.

illud oblitum. Quia per prædictam Confessionem statum gratiæ obtinuisti, & justificatus es. Hinc tamen non rectè inferes, ut nonnulli docuerunt, non teneri te redire ad Confessionem, si recorderis peccati mortalis in ultima Confessione obliti; eò quòd per factam priorem Confessionem justificatus fueris. Nam hæc sententia, præterquam quod ab inquisitione Hispaniæ reprobata sit, communi praxi ac consuetudini contrariatur. Ut proindè rectè concludamus, præceptum Confessionis præmittendæ ante sacram Communionem, non solum esse de Confessione integra formaliter, sed etiam materialiter tali. *Gob. l c.* Porrò Confessarius deesse censebitur, quando nullus haberi potest, nisi cum magna difficultate, quæ difficultas æstimari debet, expendendo distantiam loci, debilitatem virium, &c. vel si adsit quidem alius Sacerdos, sed is careat jurisdictione; vel cui non possis sine gravi damno tuo vel alieno confiteri. Circa quæ observandum est Decretum *Concilij Trid. sess. 13 c 7.* quo præcipitur Sacerdotibus, ut si urgente

Quando cẽsebitur deesse copia Confessarii.

Quid dicẽdum de decreto Trid. quo præci-

necessi-

necessitate absque prævia Confessione celebraverint, quamprimum confiteantur. Quæ particula quamprimum, etsi significet secundum *Dian. & alios plures Doctores* teneri Sacerdotem intra triduum, & quidem sub mortali confiteri à lecto Sacro. Existimant enim Sacerdotem illum confiteri quamprimum, qui saltē intra triduum confessus fuerit: & hæc sententia est communis, multúmque probabilis. Alii tamen putârunt hanc particulam esse meri consilii; Adeóque Sacerdotem non peccaturum, modò confiteatur tunc, quando iterum est celebraturus. Verùm hæc sententia ab *Alexandro VII. num. 38.* doceri & practicari est prohibita: Videtur tamen non improbabile, hoc præceptum solùm obligare sub veniali. Vid. *Tamb. in meth. comm. c. 1. §. 6. Ledesm.* &c. Communior tamen & probabilior sententia est, obligare sub mortali, quia materia præcepti videtur esse gravis, & multùm conducens ad venerationem hujus Mysterii conservandam; Adeóque Sacerdos tenetur sub gravi obligatione confiteri quamprimum, id est ter-

pitur, ut celebrans ex necessitate, nondum confessus quamprimū confiteatur.

tio saltem die post Sacrum sine prævia confessione factum, esto non habeat animum celebrandi, aut nullo alio titulo ad confessionem obligetur. Hoc tamen præceptum probabiliter non obligat illos Sacerdotes, qui habentes occasionem confitendi, eâ non utuntur, vel ex oblivione, vel inadvertentia sui mali statûs: Imò etiam ex malitia, quia verba Concilii eos solos comprehendunt, qui confessionem omiserunt urgente necessitate. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 16. Tamb. Dian.* &c.

CAPUT XIV.

De dispositione corporis ad dignè suscipiendam Eucharistiam.

Quid dicẽdum de maculis, aut alia corporis immunditia.

QUod attinet ad dispositionem corporis; certum est nullas maculas, aut aliã corporis immũditiẽ per se loquendo Communionem impedire. Quia ad hujus Sacramenti susceptionẽ non requiritur tam mundities corporis, quàm animæ. Sunt tamen hujusmodi corporis immunditiæ propter decentiam, quantùm fieri potest, amo-

amovendæ. Proinde vestium ornatus non est hîc magnopere attendendus. Et licèt nunc quidem consuetudo obtineat, ut miles communicaturus gladium, aliáve arma ob majorem modestiam deponat; Non tamen est alia, quàm solius decentiæ obligatio. Unde contrarium faciens, secluso scandalo, non peccabit. Quia in hoc nulla apparet irreverentia. Neque etiam somnus aut cibus digestus requiritur ante Communionem, de his enim nullum exstat præceptum. V. *Tamb. l. c. cap. §. 4. & 6.* Sic neque prohibitum est, statim post Communionem comedere, aut exspuere; Modò non sit periculum, ne fragmentum aliquod in ore, aut gutture remanserit. Nam sputo, seu salivâ ex capite in os defluente, non est cur irreverentia timeatur sacris speciebus, quæ, dum nondum consumptæ sunt, in stomacho residunt. Congruum tamen est ac decens, non statim peractâ Communione ad comedendum advolare: Item exspectare aliquantisper, antequã exspuas, quamvis hîc longa mora non sit necessaria, cùm species Sacramentales in stomachò à laico

De ornatu vestium.

De gladio, quem gestat miles.

De somno aut cibo nondum digesto ante communionem.

Eritne licitum, factâ communione statim comedere, aut exspuere.

intra dimidium quadrantem, à Sacerdote intra quadrantem fere corrumpantur; Citiùs tamen à valido ſtomacho, quàm debili; Communiter autem ab omnibus intra horam. Unde etiam poſt horam, licitũ tibi eſſe videtur, vomitum, ſi ita neceſſe ſit, procurare. Neq; vomitus tibi ſano, ex nõ præviſo caſu fortè ſuperveniẽs die Cõmunionis à meridie, non eſt magnopere curandus: Cùm certum ſit ſpecies conſecratas jam dudum eſſe corruptas: Cautè tamen & providè in hoc genere agendum cum infirmis, quorum ego unum aliquando vidi, qui ſumptâ Communione, poſt duas trésve horas ob ſtomachi debilitatem integras ſpecies rejecit. Imò ſtatim à Communione licitum erit vomitum procurare; Si intelligeretur, ſpecies à te ſumptas, venenatas fuiſſe, aut venenum admixtum ablutioni vel alteri cibo poſt Communionem ſumpto; Quia *Calix vita*, ut rectè inquit *D. Thomas, in 3. part. q. 83. art. 6. verti in mortem non debet.* Et eo caſu quid faciendum ſpeciebus ejectis dicetur poſtea. *Tamb. l. c. cap. 3. §. 1.* Opportunè hîc quoque monent DD.

Aut poſt horam, ſi ita neceſſe ſit, vomitũ procurare.

Quid agendum cum infirmis.

Vel ſtatim à Communione, ſi ſpecies eſſent veneno infectæ.

com-

communicantem non oportere esse facilem in exspuendo, statim post Communionem, ne fortè adstantibus sit scandalo; Imò si ob tussim urgereris ad exspuendum, decens est strophiolo sputum excipere ob Sacramenti reverentiam & circumstantium ædificationem. Cæterùm, quia usus rei venereæ, sive licitus, qualis est in conjugibus, sive illicitus, qualis est v. g. in habita pollutione, aliísque luxuriæ peccatis, communiter secum trahit notabilem animi distractionem, mentísque teporem, & moralem quandam, ut multi censent, indecentiam; Idcircò ejusmodi homini eo die, quo v. g. de nocte pollutus voluntariè fuit, noli facilè suadere Communionem, nisi valde doleat de suo peccato. Quod si tamen is communicare vellet, tu illum à Communione non prohibebis, quia certum est hìc non intercedere peccatum mortale; imò probabiliter ne quidem veniale: Prudenter tamen suadebis dilationem Communionis ad unum alterúmve diem, si judices postea communicaturum cum majore devotione. Vid. *Gob. tr. 4, cas 20.*

Quid dicendum de usu rei venereæ licito, vel illicito.

Quale jejunium prærequiritur, & sub qua obligatione.

Vasq. &c. Præcipuum igitur, quod ex parte corporis prærequiritur ad dignè suscipiendam Communionem, & quidem sub gravi obligatione, est jejunium naturale, quod frangitur, si à medio noctis, id est, à primo ictu horæ duodecimæ, ut communiter docent AA. Vid. *Dian. Lug. t. 1. resp. mor. dub. 9.* &c. (Sunt tamen, qui putent esse probabile horam duodecimã moraliter durare usque ad ultimum sonum, adeóque interea bibentem non violare jejunium, quia tamdiu videtur hora durare, quamdiu auditur. Vid. *Bresserum de consc. l. 4. c. 11. Leand.* &c. Vix tamen hoc facies, nisi justa causa accedat, sine nota temeritatis, irreverentiæ, & intemperantiæ.) Si inquã à medio noctis, ab extrinseco quidquã sumpseris per modum cibi, potûs, aut medicinæ. Dixi, si quid ab extrinseco per modũ cibi, &c. Unde si humorẽ aut sanguinẽ ex capite defluentem, aut etiam reliquias ciborum dentibus adhærentes casu, vel etiam voluntariè deglutis (quamvis hoc posterius alii probabiliter negent) manebis jejunus; Quia hæc non sumis ab extrinseco, & morali judicio

Estne dicẽdum mediũ noctis incipere à primo ictu horæ duodecimæ.

Frangétne jejunium naturale, qui humorẽ aut sanguinem ex capite defluẽtem casu aut voluntariè deglutit.

dicio pertinent ad comestionem præcedentis diei. Vid. *Suar. disp. 68. sect. 4* &c. contra alios. Item, si ungues abrasos, lapidem, fruſtillum ligni, argenti, cretæ, chartæ, &c. diglutias (quamvis de charta & creta alii contrarium sentiant) quia hæc morali æstimatione non habent rationem cibi. Vid. *Dia. p. 8. n. 7. resol. 38. tr. de Celeb. Res. 52* & alios. Similiter si musca in os fortuitò volans, à te casu trajiceretur, quia non est comestio, sed respiratio. Pari ratione sumptio tabaci sive in pulvere, sive in fumo [quamvis non satis decens sit] Item, modicæ aquæ attractio per nares; Quia non est comestio, aut potatio, sed vel respiratio, vel narium attractio, sicut etiam participatio cujusvis odoris; Nam præterquam quòd non sit cibus, non sumitur per comestionem, sed per attractionem. Denique si tempore pestis aliquid aromaticum ore circumferas, nihil deglutiendo ex intentione, quamvis fortè minimum quid succi à salivâ inseparabilis, esto non sit conversum in salivam, præter intentionem trajicias. Vid. *Tamb. l. c. cap. 2.*

Aut qui ungues abrasos, lapidē, fruſtillum ligni, &c. deglutit.

Vel qui muscam in os fortuitò volantem casu attrahit.

Aut tabacū sumens in fumo vel pulvere, aut modicum aquæ per nares attrahens:

Aut si præter intentionem sucei aliquid aut aquæ salivæ inseparabiliter immixtum deglutias.

§. 6. Nam hoc modo aliquid deglutire, est deglutire per modum salivæ; & hoc insinuant Rubricæ, dum ajunt, si lavando os deglutias stillam aquæ (subintelligeinseparabiliter salivæ immixtam, id est, ita immixtam, ut à saliva distingui non possit,) idque præter intentionem, non impedit communionem. Vid. *Dian. p. 5. tract. 5. resol. 12.* In dubio an comederis, item in dubio de hora comestionis, utrum post duodecimam comederis; In utroque hoc dubio habes probabiliter jus communicandi. Quia utrobique favet tibi privilegium possessionis: Possides enim jus communicandi, donec probetur superveniſſe impedimentum, quod te privavit hoc jure: Nam *facta contra jus aut legem*, ut loquitur Regula juris, *non præsumuntur, sed probari debent.* Alii tamen non improbabiliter arbitrantur præceptum Ecclesiasticum esse in possessione, adeóque in utroque dubio non licere communicare. Vid. *Gob. tr. 4. cas. 17. Tamb. Laym. &c.*

Quid si dubites an comederis aliquid, aut post duodecimam sumpseris aliquid.

CAPUT XV.

In quibus casibus licitum est, non jejuno communicare.

NOn jejunus poterit communicare in sequentibus casibus. Primò, In periculo mortis, idque probabili, sive mors immineat ex morbo, judicis sententia, navigatione, prælio, &c. si nimirum justè timeatur, ne infirmus sine sacra Communione extinguatur, si illam negligat non jejunus. Vid. *Dicastillo Euch disput. 9. n. 3 4.* & alios. Imò poterit ob idem periculum post sex vel septē dies iterum communicare non jejunus: Et si assuevit frequenter communicare, propter devotionē ac desiderium alterâ statim die, non jejuno communicare licebit; Dummodo mortis periculum instare videatur. Cæterùm ut Sacerdos in mortis articulo sine scrupulo infirmum non jejunum communicet, sufficiet ipsi, si prudenter & probabiliter timeatur infirmo mors imminere; nam si oporteret indubitatum periculum vel certi-

Quid in probabili mortis periculo.

tudinem expectare ; sæpè accideret, ut multi sine Viatico morerentur ; Sufficit ergò, si medicus aut illo deficiente, vir unus, altérve, aut fœmina prudens probabile putent, ægrum ex morbo moriturum sine Viatico, nisi nunc non jejuno detur. Undè, si Parocki vocentur ad ægros distantes duabus horis, possunt eis præbere Viaticum non jejunis si periculosè ægrotent, nec tenentur expectare in crastinum ; etsi probabile sit, posse infirmum in crastinum non incommodè permanere jejunum, usque ad reditum Pastoris. Quia multa de nocte interveniunt, præsertim periculosè ægrotantibus ; & fieri potest, ut sequenti die Parochus aliis negotiis graviter impediatur. Universim cavendum est Parocho, ne infirmo periculosè ægrotanti, quoad jejunium, notabilem molestiam pariat ; si enim infirmus commodè jejunus manere non potest, communicet infirmum non jejunum v.g. si infirmus sine magna sua difficultate non potest manere de nocte jejunus à potu usque ad quartam vel quintam matutinam, esto possit fortasse una alteráve hora post mediam

Infirmo periculosè ægrotanti quoad jejunium, notabilis creanda molestia.

mediam noctem talis manere, non est expectanda illa hora, utpotè nimis incommoda. Neque enim est mens Ecclesiæ tanquam benignæ matris, cum tam gravi difficultate, ad naturale jejunium obligare. Quod si commodè & sine periculo ab infirmo jejuno sacra Communio sumi potest, id utique faciendum erit. Vid. *Gob. tr. 4. cas. 18. Fill.* &c. Secundò, quando necessè est, Sacerdotem celebrare ad dandum Viaticum moribundo, eò quòd non adsint aliæ hostiæ consecratæ, quia præceptum de jejunio, non est tam rigidè latum ab Ecclesia, ut velit moriturum discedere sine Viatico. Vid. *Dian. p. 5. tr. 30. resol. 35. Escob.* &c. Alii tamen id probabiliter negant. Tertiò, quando Sacerdoti incumbit necessitas perficiendi Sacrificii. Quod accidit primò, si loco vini consecrati per errorem sumpsit aquã, quam nõ expuit, sed deglutiit ob periculum ejiciendi fragmentum hostiæ, quod à Sacerdote Calici immitti solet. In eo autem casu tenetur denuò consecrare; quod faciet statim offerendo, & consecrando Calicem, absque consecratione novæ hostiæ, ita enim

Quid in casu dandi Viatici moribundo.

Aut in necessitate perficiendi Sacrificium.

Ut si loco vini consecrati per errorem sumpsit aquam:

probabiliter plures AA. contra alios, qui juxta Rubricas volunt in eo casu novam pariter consecrari hostiam; verùm respondetur ad Rubricas, eas nō per se esse præceptivas, sed tantum directivas. Vid. *Tamb. de Sacrif l. 2 c. 8. Lug.* &c. Secundò, quando Sacerdos post Consecrationem recordatur, se non esse jejunum, debet progredi in Sacrificio, etsi non adesset periculum infamiæ. *Laym. lib. 5. tr. 5 cap. 6.* Imò si ante Consecrationem recordatur se non esse jejunum, & absque nota non potest recedere (quæ rarò effugere solet) prosequatur Sacrificium. Idem est in laico communicante, qui stans ante mensam communicantium recordatur se non esse jejunum, si discedere non potest absque infamiæ nota, communicare poterit. *Tamb. in Meth. comm. cap. 2. §. 6. & 8.* Tertiò, quando Sacerdos post sumptam ablutionem, etsi per horam Communionem distribuisset, in patena, aut corporali, fragmentum sui Sacrificii advertit, seu parvum seu magnum; potest illud, quamvis non jejunus sumere: quia ejusmodi reliquiarum absumptio refertur

Vel post consecrationem recordatur se non esse jejunum.

Quid si ante consecrationem id recordetur:

Aut post ablutionem reperit in patena vel corporali fragmentum sui Sacrificii.

ad

ad unum, idémque Sacrificium; quod absolutum esse non censetur, quamdiu Sacerdos in Altari persistit. Post recessum autem ab Altari nō licebit ei dictas particulas sumere; quia convivium Sacramentale jā est finitum, nisi fortè aliud suadeat reverentia. Præstat enim ea sumi à non jejuno, quā irreverenter quocunque loco asservari; ut si in illo loco plures Missæ non fierent, & Sacramentum ibidem asservari non soleret. Est quoque non improbabile, si advertat in Sacristia ejusmodi fragmentum, dum nondum vestes sacras exuit, id quoque à non jejuno accipi posse. Quia adhuc judicatur non absolvisse totaliter Sacrificium, quamdiu sacris vestibus non est spoliatus. Vid. *Dian. p. 5. tr. 14. resol. 45. Suar. Lugo* &c. Adeóque sumi per modum circumstantiæ & complementi ejusdem Communionis. Dixi licitum esse accipere fragmentum sui Sacrificii: nam fragmentum alieni non licet sumere probabiliter à non jejuno; nisi sit parvum. Jam enim probabile est, à non jejuno sumi posse; quia talia fragmenta facilè perduntur, & major erit re-

Eritne licitum sumere dictas particulas post recessum ab Altari.

Vel antequam vestes sacras exuerit.

Quid dicēdum de fragmentis alieni Sacrificii.

verentia si sumantur, quam si cum tali periculo in Sacrario conserventur, vel alteri Sacerdoti sacrificaturo dentur. Vid. *Tamb. Fagund. ll. mox citandis* : Hoc tamen ex communi ferè DD. sententia non est dicendum de fragmentis magnis, etsi *Tamb. l. c. §. 8. ex Marchino* contrarium putet probabile, quam sententiam non improbat *Quarti in Rubricas p. 2. tit. 10. sect. 2. dub. 2. & 3.* citans pro se *Dian. Pal.* & alios : aítque sibi videri probabilem, & in praxi tutam. Undè Sacerdos poterit sine scrupulo Ciborium purificare, & sumere reliquias illius, dum est in Altari, post ablutionem, si ante eam (quod utique faciendum erit) ex inadvertentia non purificaverit. Vid. *Fag. l. 3. prec. 1. c. 18. Henriq. Tamb.* &c. Ratio horum authorum est, quod reliquiæ consecratæ ab alio Sacerdote, tanquam Ministro Christi, habeant relationem ad quemcunque Sacerdotem utpotè Ministrum Christi: & consequenter dici possunt reliquiæ pertinentes ad quodvis Sacrificium à quocunque Sacerdote factum, cùm omnes reliquiæ contineant eundem Christum, & ratione

Maximè si sint magna.

omnium

omnium Sacerdotum propter eandem hostiam, quam offerunt nempe Christum, sit unum veluti specie Sacrificium. Licebit itaque reliquias tam tui, quàm alieni Sacrificii accipere, si eas post ablutionem primùm advertas Nam si antè adverterentur, nemo dubitat, quin ante illam, & à jejuno sumendæ sint, cùm præceptum de jejunio sine rationabili causa violari non debeat. Vid. *Tamb. l. c.*

Quid faciet Sacerdos circa particulas in patena dubiè apparentes dum suam hostiam offert.

Porrò ne Sacerdos scrupulosè angatur circa particulas, quas fortè invenit in patena, dum suam hostiam offert, quæque videntur esse ex hostia prævie consecrata, (frequenter enim fit, ut cum angore Sacerdotum appareant hujusmodi particulæ speciem præferentes fragmenti hostiæ consecratæ, maximè quando plures eâdem patenâ usi sunt) ne inquam angatur, poterit præsumere, eas non esse consecratas, adeóque licitè à se abstergi posse. Siquidem prudenter præsumitur de Sacerdote Missam celebrante, eum debitam diligentiam in conquirendis particulis adhibuisse. Unde nisi prudens ratio occurrat dubitandi, & ex qua oppositum fiat probabile,

ſecurè pro non conſecratis habentur, & meritò reputantur furfures vel excrementa capitis, vel barbæ, vel quid ſimile. Prout etiam fruſtilla lini ex purificatorio, non rarò poſt abſterſionem patenæ adhærentia, ſpeciem fragmenti præſeferunt. Vid. *Quart. l. c. dub. 4.*

Quid in caſu ſacræ Hoſtiæ incendio comburendæ, aut ab hæreticis conculcandæ.

Quartò, Si ſacra Euchariſtia vel incendio foret comburenda, vel ab hæreticis cõculcanda, licitè ſumetur à non jejuno etiam laico, ſi Sacerdos aut Clericus non adeſſet: Melius enim eſt, à non jejuno abſumi, quàm talem permitti Sacramenti irreverentiam. Vid. *Laym tr. 4. c. 6. Suar. Tann.* &c.

Quid agendum circa particulam Hoſtiæ Calici immiſſam ſi cum vino conſecrato non fuerit ſumpta.

Quintò, Si Sacerdos advertat particulam Hoſtiæ Calici immiſſam ſe cum vino conſecrato non ebibiſſe. In eo enim caſu, vel poteſt digito dictam particulam ad labrum Calicis adducere, atque ita ſumere, vel propter majorem decentiam (ut non pauci volunt) poterit cum vino purificationis illam ſumere, tametſi ſemel aut bis aliud vinum infundendum foret. Vid. *De Lugo de Euch. d. 15. ſect. 4.*

Quid licebit in periculo gravis ſcandali.

Sextò, ſi grave ſcandalum timeretur, niſi quis communicaret, aut Sacris operaretur. Vid.

Prapo-

Præpoſit. in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. Tamb. ll. cc. Denique ſi celebrans poſt Conſecrationem deficiat. Tunc enim tenetur alius, etſi non jejunus, ſi jejunus non adſit, Sacrificium perficere. *Laym. l. c.*

Aut deniq; ſi celebrans poſt conſecrationem deficiat.

CAPUT XVI.

Exponuntur rariora quædam circa S. Euch. notatu digna.

AD horum omnium ulteriorem elucidationem ex ſupra notatis authoribus obſerv. Primò, quamvis non ſemel eveniſſe exiſtimandum ſit, non eſſe verè conſecratam hoſtiam, quæ pro tali habebatur v. g. dum ſacrificat is, qui non eſt Sacerdos ob defectum Baptiſmi; aut quando loco vini per errorem aqua infunditur Calici; non eſt tamen neceſſe, aut conſultum, ut ad evitandam materialem idololatriam aſſueſcas dicere: Adoro hanc hoſtiam, ſi eſt conſecrata: adoro hoc, quod eſt in Calice, ſi eſt verè Sanguis Chriſti; quia quæ rarò eveniunt in agendis negotiis, non temerè computantur, id eſt, eorum nulla conſideratio regu-

Recténe ad evitandam idololatriã materialem aſſueſces dicere: Adoro hanc Hoſtiam, ſi eſt conſecrata.

regulariter habetur. Est autem uterque hic casus & error rarissimus, adeóque nullius considerationis. Vid. *Vasq. Tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 110. *cap.* 5. *Bress.* &c. Dein vix unquam in simili adoratione admittitur idololatria materialis; non interna; quia tota intentio adorantis fertur in verum Christum, non autem in panem & vinum: non exterior, quia externa adoratio regitur ab interna, quæ tendit in id solum, in quod interna. Secundò, in distributione sacræ Communionis, si fortè contingat hostiam in linteum communicantium labi, reverenter elevetur; & si plures sint communicantes, ut vitetur confusio, notetur locus à sacra Hostia tactus, ut postea abluatur, & aqua in Sacrarium mittatur. Si verò ceciderit in terram similiter elevetur, & locus in quem incidit, stropholo tegatur; ut postea abradatur & lavetur. Vid. *Fagund. præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 20. *Suar. Tann.* &c. Quod si in pileum, collare, aut vestem communicantis ceciderit; probabile est hæc non esse lavanda, ob notabilem communicantis perturbationem, & molestiam, si hujusmodi lotio pete-

Quid faciendum, si in distributione sacræ Comunionis Hostia labatur in linteum communicantium.

Aut si in pileum, collare aut vestem communicantis.

petetretur. *Tamb. l. 2. c. 8. § 8.* &c. Imò si Sacerdos solus videat parvum fragmentum decidere in vestem, aut barbam communicantis, & prudenter prævideat futuram notabilem communicantis turbationem, vel adstantium offensionem, (quod certò regulariter & communiter adesse solet) si ejusmodi fragmentum inquireretur, nihil dicat aut agat ulteriùs, sed totum commendans Deo, progrediatur in suo Ministerio. Quod etiam valet, si particula decidens, humanâ industriâ reperiri non posse videatur: plus enim non exigit in similibus casibus reverentia, & sacer cultus; quam ut fiat, quod per humanam industriam à Sacerdote fieri potest. Quod si Sacerdos modestè & sine turbatione communicantis simile fragmentum attollere posset, id utique faciet. Dixi si solus Sacerdos videat cecidisse hujusmodi fragmentum. Nam si ipse quoque communicans advertisset talem particulam in vestem, aut etiam per collum in interiorem tunicam mulieris v. g. cecidisse, videat mulier, an inveniri fragmentum, & extractis à se vestibus,

Quid si per collum in interiorem tunicam mulieris ceciderit.

ac foras modestè exporrectis à Sacerdote levari possit; sin minùs, ipsa mulier suâ manu reverenter levatam, immittat in Ciborium, ac digitos lavet projecta in sacrarium lotione; neutrum si fieri possit, Deo commendetur. *Tamb. de Sacrificio cap. 8. §. 8 lib. 2.*

Quis modus purificandi ciborium.

Tertiò, modus purificandi Ciboriũ hic ferè esse solet. Colligat Sacerdos, antequam sumat sacrum Sanguinem, indice dextræ manus, in fundũ Ciborii omnes reliquias, easq; sic collectas digito promoveat, & Calici vel ãte, vel certè post sumptionem sacri Sanguinis immittat, tum Ciborium vino purificet, illúdque vinum in Calicem missum sumat pro prima ablutione, & si fortè opus sit, secundam & tertiam ablutionem Ciborii adhibeat, eámque proprio Calici infusam sumat; Ita enim decentiùs & convenientiùs sumetur. Denique digitis more consueto ablutis, Ciborium, unà cum proprio Calice, purificatorio extergat, sitque memor se non teneri neque hic neque in similibus casibus ad metaphysicam diligentiam, sed sufficere moderatam, ac moralem. Valdè enim probabile

est,

est, quod plures Doctores asserunt, fragmenta, quæ fortè remanent, præsertim minutiora, quæ humanâ diligentiâ colligi non possunt, ab Angelis colligi. Proin non sit scrupulosè anxius circa ea, quæ fragmenti speciem in ciborio habere videntur, sed purificatorio extergat, existimans esse furfures, fruftilla lini, aut simile quid, uti suprà dictum est, Vid. *Quarti. l. c. dub. 7. & 8. Lugo* &c. Quartò, Si contingat hostiam revomi, & nemo adsit, qui ob horrorem & nauseam illam sumere ausit, cautè à vomitu separetur, & in aliquo loco sacro ponatur, ac purgata vel sumatur, vel relinquatur in loco sacro donec corrumpatur: Exurere enim hujusmodi species, ut innuit *Sylv. V. Euch. q. 9. §. 2.* & alii cum eo communiter, foret sacrilegium. Fieri enim id nequit, nisi cum injuria ipsius Christi sub speciebus Eucharisticis contenti. Cæterùm dicti sacrilegii malitia ex ratione non satis apparet: Magis enim Sacramenti reverentiæ consuli videtur, si hæ species per purissimum elementum consumantur, quàm si relictæ, putrescendo corrumpantur.

Quid si contingat Hostiam evomi.

tur. Interim tenenda est jam dicta communis Doctorum sententia, nec ab ea ob præfatam rationem temerè recedendum, nisi fortè graves alii Authores contrarium probabile faciant. Quod si species in vomitu non appareant, ut prudenter judicentur jam esse corruptæ, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur. Vid. *Tamb. de Sacrif. l. c.* Quintò, Si dubium oriatur, dum sumis sacrum Calicem, fuerítne verè vinum, an acetum; arbitraberis fuisse vinum, quia possidet substantia vini, & pro eo præsumendum est. *Tamb. in Meth comm. cap. 2. §. 8.* &c. Huc quoque pertinet, quod plures Sacerdotes turbare solet, nimirum quando dubitatur, utrum omiserit aliquid ad Missam pertinens, ideò, quia non recordatur se hoc dixisse, aut fecisse. Nam in tali dubio, imò quod ampliùs est, etsi judicet probabiliter se aliquid omisisse, aut etiam advertat aliquid omissum; ordinariè ex mente *D Thomæ q. 83. art. 6. ad 5.* & aliorum nihil est repetendum; ne pulcherrimus Ordo Missæ tali repetitione, quæ frequenter scrupulosa esse solet,

In dubio fueritne vinum an acetum, quod consecrâsti, quid facies.

Quid si Sacerdos dubitet, se omisisse aliquid ad Missam pertinens.

solet, turbetur: nisi fortè omiserit aliquid, quod sit de substantia Sacrificii v. g. aliquid pertinens ad Consecrationem. Certum enim est, id debere repeti. Similiter quando secretò oras, & post pauca verba certò advertis, te aliquid notabile omisisse, paululum regrediendum, & omissa repetenda erunt. Vid. *Tamb. de Sacr. lib. 2. cap. 5. §. 2.* Sextò, quamvis actualis devotio, id est exercitium quorundam actuum supernaturalium v. g. Fidei, Spei, Charitatis, &c. in communicante semper optanda, & pro viribus curanda sit; hanc tamen actualem devotionē communicans si negligat, non videtur delinquere, cùm de ea nulla nobis constet obligatio. Cæterum à veniali ex communi omnium judicio non excusabitur, qui voluntariè tempore Communionis distrahitur, nam talis moralem aliquam indecentiam, & culpabilem rusticitatem admittit, dum non dignatur animum advertere ad tantum hospitem, tam benignè & dignanter ad se venientem. Quis enim neget irreverentiam esse, Christum ab homine suscipi omnia alia de industria cogitante.

Quid dicēdum de eo, qui voluntariè tempore communionis distrahitur.

Dixi

Dixi de industria, neque enim involuntaria distractio vitio vertitur. Vid. *Gob. tr. 4. cas. 20.* Septimò, Sacerdos per errorem loco vini consecrati hauriens aquam, mox accepto vino, & sine ulla Cruce, affusâ modicâ aquâ, factâque oblatione (sufficit autem mentalis ut docet *Dicast. disp. 4. tr. 5. Laym. Suar.* & alii) omnibus aliis omissis incipiens ab illis verbis immediatè formam Calicis antecedentibus (simili modo postquam cœnatum est) proferat verba Consecrationis, omissâque elevatione, &c. sacrum Sanguinem sumat. Prædictus error non erit supplendus postquam rediisti ad Sacristiam, quia erit nova, & à priori omninò distincta actio. Vid. *Tamb. de Sacrif. lib. 2 cap. 3. §. 5. Suar. Koning* &c. Octavò, si sacer Sanguis cadat super linteum, tabulam, aut tapetem, sufficit si tabula lambatur linguâ, deindè radatur, & rasura combusta mittatur in piscinam, vel in terram sacram aut cœmeterium, ut docet *Henriq. lib. 9. cap. 36. Tann.* & alii conformiter Rubricis: linteum verò & tapes tribus vicibus lavetur, non autem excindatur, ut volunt

Quid faciet Sacerdos per errorē loco vini consecrati sumens aquam.

Quid fiet sacro Sanguine super linteum, tabulam, aut tapetem effuso.

volunt nonnulli. Quod si gutta decideret in patenam, decentiùs illa digito canonico, quàm linguâ excipietur. Quæ autem de abrasione comburenda aut lotione facienda hîc dicta sunt, debent eo sensu accipi, ut hæc fiant, quando rasura, linteum, &c. ita exsiccata sunt, ut non perseverent species vini, nec ibi sit amplius Sanguis Christi, ut rectè notat *Quarti p. 3. tit. 10. n. 12.* Vid. *Rubric. tit. de defect. in ministerio ipso occurrentibus, n. 17.* Cæterùm quando sumitur à Sacerdote sacer Sanguis, est probabile, Sufficere si Calix semel ori admoveatur; Quamvis *Durandus* secundum communiorem praxin velit ter admoveri, ut tanto perfectiùs & pleniùs omnes species sacri Sanguinis hauriantur. Vid. *Gav. p. 2, tit. 10.* Interim cave, ne nimius sis in exhauriendo sacro Calice, nam postquam eum semel vino purificâsti, (quæ purificatio sub veniali in vino necessariò facienda est. Vid. *Tamb. l. 3. de Sacrif. cap. 9. Sanch. Azor.* &c.) ac deinde digitorum ablutionem sumpsisti, Calice bis inverso suprà purificatorium, ad totam ablutionem tantò perfectiùs

Quis modus sumendi sacrum Sanguinem; & post sumptionem Calicē purificandi.

ctiùs sumendam, mox illum purificatorio exterges; tametsi liquidi aliquid superesse videatur. Vix enim ita evacuabis, quin non aliquid remaneat, quod decentiùs purificatorio excipitur; quàm ut magnâ Sacerdotum & circumstantium molestiâ elambatur. Ad hoc enim est purificatorium; ut reliquias ablutionis, si quæ fortè adhærerent, abstergat; vel etiam guttam aliquam, fortè ex ablutione decidentem (de quo, non est, quod angaris, si casu fiat) decenter excipiat. Adde quod sufficiat in his omnibus, ut suprà dictum de colligendis particulis, moderata & moraliter possibilis diligentia, qualem præscribunt Rubricæ & à piis ac timoratis Sacerdotibus adhiberi solet. Quod si eodem die pluries esses celebraturus v.g. festo Nativitatis, postquam vino supra Calicem, ex quo sacrum Sanguinem hauriebas, digitos abluisti, hanc purificationem mittes in pròximè appositum Calicem, ut jejunus maneas, ac deinde os & Calicem purificatorio absterges, recitando simul solitas & præscriptas ab Ec-

clesia preces, quæ circa purificationem, & ablutionem digitorum dici solent. Ita enim ferè habet praxis communis Germaniæ nostræ, quamvis alii Calicem tandiu velint relinqui intactum, donec species residuæ exsiccentur. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 23. Lug.* &c.

Quid dicendum de Sacerdote & inprimis religioso, qui sine jurisdictione S. Euch. ministrat.

Nonò, Sacerdos, qui sacram Eucharistiam ministrat absque omni jurisdictione, præter peccatum grave, propter violatam alterius jurisdictionem in re gravi, nullam pœnam ipso jure incurrit, nisi sit Religiosus. His enim excommunicatio reservata Pontifici ipso facto est imposita, si absque licentia speciali Parochorum, eorum subditis extremæ Uuctionis vel Eucharistiæ Sacramentum ministrare aut Matrimoniis assistere præsumpserint. Vid. *Clement. 1. de Privil.* Ubi nomine licentiæ specialis non debet intelligi ejusmodi licentia, quâ persona ministrãs, vel cui dandum est Sacramentum, specialiter & expressè à Parocho designetur, sed sufficit licentia, quæ huic expressæ & speciali designationi æquivaleat, ut si Parochus concedat omnibus suis subditis facultatem à quocunque Sa-

cerdote omnia Sacramenta ſuſcipiendi, aut certè non repugnet, ut à quovis alio Sacerdote ſuſcipiantur. Jam enim Religioſus Euchariſtiam miniſtrans cenſebitur eam miniſtrare ex licentia ſpeciali & expreſſa Parochi. Vid. *Dom. Reding. Tom. 6. q. 6. art. 1. Controverſ. 3. Pal. Gob.* &c. Excipe caſum extremæ neceſſitatis, in quo Religioſus licitè adminiſtrabit Euchariſtiam. Vid. *Fagund. præc. 3. l. 3. cap. 2.* Decimò, cùm gravis committatur irreverentia ab illis Sacerdotibus, qui ex culpabili negligentia ſacras ſpecies tamdiu in tabernaculo aſſervant, donec vel corrumpantur, vel à vermibus arrodantur; hinc Parochi, aliive Sacerdotes, ſingulis menſibus bis aut ſaltem ſemel poſt ſumptum ſacrum Sanguinem adhuc jejuni abſumant omnes hoſtias, quæ pro ægris in omnem eventum erant conſecratæ, ſicut & illam, quæ in Monſtrantia erat expoſita, & in eadem Miſſa conſecrando novas hoſtias renovet Sacramentum, ne deſint hoſtiæ pro infirmis, aut major hoſtia, pro communi devotione in Monſtrantia. Ubi ſimul obſerva neceſſitatem hujus mutationis

Quoties ſacræ ſpecies in tabernaculo aut Monſtrantia aſſervatæ ſint mutandæ, ne corrumpãtur, &c.

tionis pendere à loco, in quo sacræ Hostiæ asservantur; nam si is sit humidus, aut aliâ fortè ad putrefactionem qualitate affectus, majorem dabit ansam hujus renovationis, præsertim cùm in loco humido facilè nascantur vermes, qui sese ingerant in sacrum Ciborium. Non est autem, quod Sacerdos sit solicitus de sumptione plurium hostiarum, nam in tali casu ob reverentiam Sacramenti licitum est plures simul sumere. Imò si solus non posses eas absumere, potes alium Sacerdotem post te celebrantem rogare, ut ipse post sumptum Calicem aliquas absumere velit. Ita DD. comm.

* * *
* *
*

PARTIS SECUNDÆ

SECTIO SECUNDA.

De Eucharistia, ut est Sacrificium.

CAPUT I.

Quid Sacrificium novæ Legis, & an simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium.

Definitur Sacrificium in comm.

SAcrificium in communi, rectè definitur: *Oblatio Deo facta, per immutationem rei alicujus sensibilis, in signum & protestationem supremi dominij ipsius Dei in res creatas, ex publica & legitima institutione.* Ita conformiter doctrinæ *S. Thomæ 2. 2. q. 85. art 1. 2. 3.* plures Theologi.

Accomodatur communis definitio Sacrificio novæ Legis.

Congruit autem hæc definitio Sacrificio novæ Legis, in quo fit oblatio Deo per immutationem rei sensibilis, id est, Christi secundum suam humanitatem; Quidum

dum mysticè occiditur, ut supra ostensum, mysticè immutatur, idque ex institutione tum Christi, tum Ecclesiæ ejus Sponsæ, (subintellige non quoad substantiam Sacrificii, hoc enim Christus instituit, sed ejusdem cæremonias,) ut per eam profiteamur supremum Dei dominium in res creatas. Quâ protestatione maximè distinguitur Sacrificium ab omnibus aliis actibus Religionis. Hoc verò Sacrificium nostrum, ut supra diximus essentialiter consistit in consecratione utriusque speciei; ad illius tamen integritatem spectat utriusque speciei sumptio. Ac proindè ante Communionem deficiente celebrante alius substitui debet, qui ex imperfecto Sacrificio integrum faciat. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 1.* Nominatur hoc Sacrificium à Christianis Missa, quam vocem Molina putat derivatam à voce hebræa, Missach, quod oblationem significat, alii cum D. Bonaventura derivant à verb. mitto, eo quod per Sacrificium nostrum mittatur oblatio ad Deum. Undè in fine dicitur: Ite, Missa est, id est, ite, jam oblatio ad Deum Missa est, & completa tota

Consistit essentialiter in consecratione utriusque speciei.

Et olim à Christianis Missa dicebatur.

Est simul Latreuticũ, Eucharisticum, Propitiatorium & Impetratorium.

sacra actio. *Gob. ibid* Est autem hoc Sacrificium nostrum juxta Theologos simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, seu Satisfactorium, & Impetratorium. Latreuticum dicitur, quia offertur in recognitionem supremi dominii, quod Deus habet in res omnes creatas, adeóque est opus divinæ laudis, & cultus, tam eximius, ut majorem laudem & honorem Deo exhibere nequeamus, quam immolando ipsi in hoc Sacrificio Filium suum. Eucharisticum dicitur, quia offertur in gratiarum actionem pro variis beneficiis à Deo acceptis, & præcipuè pro beneficio Redemptionis, cujus iterata fit in hoc Sacrificio memoria. Propitiatorium, quia offertur pro peccatis & pœnis Fidelium. Impetratorium, quia offertur ad impetranda varia bona tam spiritualia, quam temporalia. Cæterùm hoc Sacrificium non est ita Propitiatorium, ut per illud immediatè remittantur peccata mortalia illius, pro quo offertur, modò sit attritus, quamvis id nonnulli docuerint; sed solum mediatè, ita ut illi vi Sacrificii tribuantur auxilia gratiæ, quibus

Estne hoc Sacrificium ita Propitiatorium, ut per illud immediatè remittantur peccata mortalia e-

excì-

excitetur ad pœnitentiam, & consequenter ad veniæ impetrationem. *Suar. disp. 78. sect. 2. Lug* &c. Probabile tamen est, quod culpæ veniales, ad quas non retines affectum, ex opere operato tollantur immediatè vi Sacrificii. Vid. *Tann. disp. 5 q. 9.* &c.

jus, pro quo offertur, modò sit attritus.

CAPUT II.

Ostenditur, quàm aptè prædicta ratio quadruplicis Sacrificij exprimatur per cæremonias & oblationes in Missa usurpari solitas.

HÆc ratio quadruplicis Sacrificii modò dicta præclarissimè exprimitur per cæremonias & oblationes, in Missæ Sacrificio ab Ecclesia præscriptas. Nam primò ratio Sacrificii Propitiatorii sive Satisfactorii pro peccatis continetur oblatione panis per consuetam Ecclesiæ formulam: *Suscipe S. Pater Omnipotens æterne Deus hanc immaculatam Hostiam*, &c. *Pro innumerabilibus peccatis, offensionibus*, &c. Item oblatione Calicis dicendo: *Offerimus tibi Calicem salutaris*, &c. *ut pro nostra & totius mundi salute*, &c. Circa quam panis & vini oblatio-

Quæ cæremonia contineat rationem Scrificii Propitiatorii.

nem adverte, panem & vinum non suæ substantiæ gratia, nec ratione sui offerri, cùm, quà talia & secundum se accepta, non sint digna hostia, quam Deus præ Sacrificiis antiquæ legis, ad totius mundi expiationem, & salutem suscipiat, sed ratione Corporis, & Sanguinis Jesu Christi offerri, in quæ paulò post per verba Consecrationis convertentur. Unde panis & vinum anticipatò tantisper oblationis cæremonias subeunt, donec Corpus & Sanguis Christi succedat: estque oblatio panis & vini non pro præsenti statu, quem ante Consecrationem obtinet, sed pro futuro, quem vi Consecrationis consequetur. Deindè ratio Sacrificii Eucharistici sive gratiarum actorii exprimitur consuetâ Ecclesiæ formulâ: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, &c.* hoc est offerimus ob immensa Dei in nos beneficia, ac in primis Redemptionis nostræ, utpotè fontis omnium aliorum in nos beneficiorum, *Item in honorem B Mariæ Virginis, &c. & istorum* (subintellige quorum reliquiæ in Altari quies-

Quæ Eucharistici.

quiescunt) *& omnium Sanctorum*, id est ob beneficia ipsis quoque cœlitibus à Deo collata; idcircò enim in honorem Sanctorum, non ipsis Sanctis, sed soli Deo Sacrificium facimus; ut de eorum victoriis gratias agentes eorum patrocinia imploremus, & ipsi pro nobis intercedere dignentur. Tertiò, ratio Sacrificii Impetratorii continetur verbis Canonis: *Te igitur clementissime Pater*, &c. ubi varia beneficia tam pro Ecclesia in communi, quam pro privatis personis per Jesum Christum Mediatorem & Advocatum nostrum à Deo petuntur; nec modò pro iis solùm, qui ex præscripto Ecclesiæ commendandi sunt, verùm etiam pro aliis, quos Ecclesia privatæ devotioni Sacerdotis, dum Memento facit, commendandos relinquit. Denique ratio Sacrificii Latreutici exprimitur eâ verborum formâ, quæ expansis manibus super oblata, id est panem & vinum dici solet: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, quâ protestamur supremum Dei in res omnes dominium, nostramque subjectionem, ac servitutem; undè etiam obla-

Quæ Impetratorii.

Quæ deniq; Latreutici.

tio servitutis dicitur, fitque expansis super oblata manibus, ad designandum loco nostri, quibus summo jure incumbebat vitam & animas, quas à Deo accepimus, divino honori & cultui immolare, substitui Christum incruentè immolandum, & mysticè occidendum; sicuti olim in veteri Testamento loco animæ viventis hominis substituebantur animæ animalium, quæ in recognitionem supremi dominii Deo immolabantur, quibus etiam in signum substitutionis ab offerente manus imponi solebant, ut videre est *Exodi 29. & Levit. 1.* Reliqua, quæ in Sacrificio Missæ occurrunt, ut Præfatio, aliæque Orationes intra aut extra Canonem dicendæ, cruces, oscula Altaris, &c. sunt veluti priorum complementa, & solemnior apparatus tanto Sacrificio omninò debitus: Ita per cruces frequentiùs tempore Sacrificii formatas, repræsentantur merita Christi, quæ ipse in Cruce per mortem consummavit, fitque per illas protestatio, nos cultores Crucis, & Crucifixi amantes esse. Similiter per oscula Altaris significantur totidem reverentiæ & amoris

Reliqua extra præfatas cæremonias in Missa usurpari solita quid significent, & quorsum adhibeantur.

amoris indicia erga Deum, cui soli Altare dicatum est. Apprecatio, quâ Sacerdos populo salutem & benedictionem precatur consuetis his verbis; *Dominus vobiscum*, itemque populi ad Sacerdotem reciproca apprecatio dicendo: *Et cum spiritu tuo*, fit partim, ut divinæ gratiæ auxilium ad dignè sacrificandum implorretur, partim ut hac veluti Tesserâ indicetur mutua Sacerdotem inter & populum concordia, amotis procul odio, rancore, dissensione, aliisque siniſtris affectibus, qui fructum Sacrificii impedire possent; juxta illud monitum Christi *Matth. 5. Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc offeres munus tuum.* Vid. *Veken in Can Miss. Bellarm. Scort. de Missa Sacrificio.*

CAPUT III.

De Sacrificante, sive de eo, qui sacrificat.

Inter puros homines omnis & solus Sacerdos propriè sacrificat, nam ut rectè docet *S. Thomas q. 82. art. 7. & 8.* Potestas conse-

Inter puros homines solus Sacerdos sacrificat.

randi Eucharistiam pertinet ad characterem Sacerdotalem Ordinis. Dixi inter puros homines, nam principalis sacrificans, cujus Ministri sunt alii Sacerdotes, est Christus Deus & homo. *S. Thomas q. 82. art. 3.* Ipsius enim nomine hoc Sacrificium Deo Patri offertur. Nam alii Sacerdotes, dum sacrificant, Christi personam assumunt, & in persona ipsius verba Consecrationis proferunt, quibus, ut supra dictum est, Sacrificium essentialiter perficitur. Ex quo sequitur hoc Sacrificio Deo tribui majorem laudem & honorem ob personam offerentis, quam accrescat ab omnibus actibus quantumcunq; excellentibus omnium Sanctorum tam in cœlis, quàm in terris. Patet ex dignitate personæ principaliter offerentis. Possunt alii homines dici aliquo modo sacrificare, & in primis universa Ecclesia, cujus Sacerdos Vicarius & veluti ad Deum Legatus est; nam Ecclesia in hunc finem Sacerdotes creat, & alit, ut veluti Legati agant cum Deo nomine suo. Item huc reduci possunt, qui peculiari modo concurrunt ad Sacrificium, alendo Sacerdotem, neces-

Principalis sacrificans est Christus; cujus Ministri sunt alii Sacerdotes.

Hi in persona Christi verba consecrationis proferunt.

Quantus honor & laus accrescat Deo ex hoc Sacrificio.

Utrum alii homines etiam dici possint aliquo modo sacrificare, & quinam.

necessaria ad Sacrificium ut vinum &c. suppeditando, Sacerdoti ministrando: similiter illi, qui cum debita reverentia corporaliter Missæ interfunt, aut si non possint corporaliter, saltem spiritualiter, dum suis votis vota Sacerdotis prosequuntur. Hos autem aliquo modo sacrificare cum Sacerdote colligitur ex primo Memento, quod nominatur Vivorum, in quo dicitur: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, aut spiritualiter & affectu interno, aut etiam corporaliter per cooperationem supra dictam. Qui omnes, quia aliquo modo sacrificant, ideò omnes participant aliqua ratione fructus Sacrificii ex opere operato, esto Sacerdos de illis non cogitet, aut etiam excluſos velit, ut notat *Suar.* Imò videntur hi dictos fructus, ut docet *Koning*, probabiliter posse applicare etiam aliis, cùm dicatur in eodem Memento, offerunt pro se, suisque omnibus, adeóque pro aliis. Vid. *Suar. disp. 77. sect. 8. Koning*, &c.

Utrum Missa mali Sacerdotis sit ejusdem va-

Cæterum Sacrificium si præcisè spectetur, quatenus per illud conficitur Sacramentum Eucharistiæ,

Missa

Ioris cum Missa boni Sacerdotis.

Missa mali Sacerdotis tantum valet, quantum probissimi; quia ab utroque conficitur idem Sacramentum. At, si spectetur Missa, quoad orationes, quæ in illa dicuntur, dupliciter responderi debet: nam si hæ preces dicantur nomine Ecclesiæ, quales ferè sunt illæ orationes, quæ continentur in Missali, & præsertim quæ recurrunt in omnibus quotidianis Sacris, habent eandem vim, sive à malo Sacerdote, dummodò non sit excommunicatus (nam hujus Ministerio uti Ecclesia non vult) sive à bono dicantur; sicuti si des eleëmosynam per malum servum sive per bonum, eandem mercedem recipies. Hæ tamen preces, quatenus fiunt nomine Ecclesiæ, cum devotione, nam devotio boni Sacerdotis gratior est Deo, quàm mali, sub hac quoque ratione magis prosunt. At verò si Sacerdos suo peculiari nomine oret, ut fit in utroque Memento, tum utique plus prosunt preces Sacerdotis boni, quàm mali. Plus enim apud Deum valent preces amici, quam hostis. Proindè quando in locum tuum substituis te impedito alium Sacerdotem, qui legat

Sacrum

Sacrum pro te, ad quod ex justitia obligaris, vide ut substituas Sacerdotem bonum, quia si substituatur Sacerdos malus, perdetur fructus, qui est ex opere operantis. Cavendum tamen hic est à temerariis judiciis, & multò magis ab aliorum diffamatione. Undè si non sis moraliter certus alium Sacerdotem esse malæ vitæ, semper præsumes illum esse bonum. Vid. *S. Thom. q 82. art. 6 Soto* & alios. Quod attinet ad Sacerdotes noviter ordinatos, qui die ordinationis cum Episcopo celebrante omnes ritus aliasque cæremonias sacras perficiunt, imò verba consecrationis cum eodem proferunt, adeóque verè cum Episcopo consecrant, hi cavebunt ne totam formam consecrationis absolvant priùs, quàm Episcopus, sed conentur eandem cum illo absolvere, juxta Pontificale Romanum *de ordinatione Presbyteri*, quod quia difficile est observatu, adeóque plures Neo-Sacerdotes circa prolationem utriusque formæ angantur; ideò in consecratione panis faciant intentionem, non absolutam consecrandi, sed conditionatam, scilicet, si simul cum

Quid circa Sacerdotes noviter ordinatos, qui die ordinationis suæ cum Episcopo verba consecrationis proferunt.

cum Episcopo absolvant verba consecrationis ; secùs si Episcopum præveniant aut sequantur. Hæc enim videtur esse mens Ecclesiæ tam solicitè monentis , ne Episcopum in prolatione verborum præcedant aut subsequantur. In consecratione autem Calicis habeant intentionem conditionatam duplicem, & primam quidem si in priore consecratione verè consecraverint panem ; non potest enim licitè una materia sine altera consecrari: ac deindè secundam , si simul cum Episcopo finiant. Ad tollendos omnes scrupulos convenientius erit , si formem generalem intentionem proferendi verba juxta mentem Ecclesiæ, vel dicendi illa non formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantum materialiter & recitativè in signum potestatis sibi concessæ. Cùm enim , ut paulò ante insinuavi, moraliter loquendo vix fieri posse credatur , ob naturalem quorundam linguæ volubilitatem, & in pronunciando celeritatem , aliorum verò tarditatem, ut verba consecrationis per ordinatos , maximè si plures sint, prout passim esse solent , eodem momen-

momento cum Pontifice pronuncientur, ex probabili non videtur mens Ecclesiæ esse alia, quam ut Neo-Sacerdotes, formam solum materialiter pronuncient in signum potestatis acceptæ. Ita non improbabiliter diversi Authores. Vid. *Laym. l. 5. tr. 3. cap. 7.* &c.

CAPUT IV.

Utrum Sacerdos intra annum aliquoties teneatur sacrificare.

TEnetur quivis Sacerdos sub gravi obligatione aliquoties intra annum celebrare, nimirùm quater aut quinquies; Idque in præcipuis festivitatibus, quia per sacros Ordines non solùm confertur dignitas & potestas, sed imponitur etiam officium celebrandi, ut patet ex illis verbis ad *Hebræos 5. Omnis Pontifex*, &c. *pro hominibus constituitur, ut offerat Sacrificia pro peccatis.* Item ex verbis Christi *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Alii tamen putant probabiliter non obligari graviter, sed solùm peccari venialiter, si toto anno nunquam

quam celebrent, tametsi non sint impediti, modò semel in anno communicent, & festis ac dominicis Sacrum audiant. Quia non constat de præcepto Divino aut Ecclesiastico graviter Sacerdotes ad hoc obligante. Vid. *Laym. l. 5. tr. 5. cap 3.* &c. Peccabunt tamen venialiter, quia accipiunt potestatem consecrandi, in vacuum monente & hortante *Apostolo 2. cor. 6.* ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Et licet eodem die simpliciter ac absolutè non sit permissum sæpiùs celebrare, adeóque hoc facientes peccent graviter, *Cap. Sufficit de consecr. dist. 1.* Vid. *Suar. Iordan elucubr to. 1. l. 4. titulo 1. cap. Consuluisti.* Licitum tamen est id facere in casu gravis necessitatis; Item in die Nativitatis, *cit. cap. Sufficit.* ob significandam, ut rectè docet *D. Thomas* triplicem Christi Nativitatem, æternam ex Patre cælesti, temporalem ex Maria Virgine, spiritualem in cordibus fidelium; Quo die licebit tria dicere Sacra, etiam statim post mediam noctem. Siquidem hæc nox ex sententia probabili *Suar. Kon. Laym.* &c. privilegiata est, ita ut omnes tres

Erítne licitum sæpiùs eodem die celebrare.

Cur die Nativitatis dominicæ tria Sacra permittantur:

Missæ

Missæ ante auroram dici possint. Vid. *Dicast.* & alios. Nemo tamen tenetur eo die tertiò celebrare, quia est gratia & privilegium, quo nullus uti tenetur. *Iordan. l c.* Sicut & nemo obligatur tria Sacra audire, cùm de hoc non exstet præceptum.

Et an quivis teneatur illa legere.

CAPUT V.

De fructu Sacrificij.

FRuctum Sacrificii Authores communiter nominant portionem: Est autem quodruplex portio, generalissima, specialis, ministerialis, & specialissima. Prima est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert nomine Ecclesiæ; Et hæc portio cedit omnibus fidelibus non excommunicatis. Secunda est fructus competens concurrentibus speciali modo ad Sacrificium; Tales sunt v. g. qui fundant Sacrum, suppeditant necessariò ad Sacrum, qui ministrant, aut Sacro devotè intersunt. Tertia est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert

Ostenditur, hunc fructū esse quadruplicem.

Explicatur, quis sit fructus generalissimus.

Quis specialis.

Quis ministerialis.

fert tanquam Minister Christi; & hæc portio cedit illi particulari, cui à Sacerdote applicatur Missa; quæ quidem portio, ut passim docent Theologi, finita est, non tantum intensivè, sed etiam extensivè; non enim, ut experimur, hac portione acquirimus omnia bona, & quo pluribus illa applicatur, eo respectu singulorum fit minor, quod probatur ex communi praxi doctissimorum Sacerdotum, qui cupientes suum Sacrum singulariter amico alicui prodesse, offerunt illud Deo, pro ipso solo; quod sanè non facerent, si crederent amico nihil decessurum. Proindè Sacrificium rectè dicitur infiniti valoris in actu primo, sed finiti in actu secundo. Vid. *Dicast. de Euch. tr. 4. disp. 3. Suar. Tann.* &c. Proinde fideles scientes hanc sententiam non esse certam, quæ docet fructum Sacrificii non minui multitudine participantium, offerunt stipendia, eâ tacitâ conditione, ut Sacerdos certiora sequatur, adeóque solicitus esse debeat, ut id, quod certius est, amplectatur. Vid. *Dicast. l. c.* Quarta denique est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus illud offertur

Estne hic tertius fructus dicendus finitus intensivè & extensivè.

Quis specialissimus.

in

in persona propria, estque portio cedens ipsi Sacerdoti sacrificanti; nam si singulis impropriè sacrificantibus, & ad Sacrificium concurrentibus respondet peculiare emolumentum; quidni eveniet tale, Sacerdoti propriè sacrificanti. Vid. *Gav p. 2. Tit. 8. n. 3.* Undè si tibi non incumbit obligatio sacrificandi, ad certam intentionem; poteris liberè dividere hos fructus, servando tibi unam portionem, duas, aut nullam, ut libet; reliquas dividendo inter duos aut tres, &c. quia id concessum intelligitur, quod expressè prohibitum non reperitur. Vid. *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 13.*

Utrum Sacerdoti liberum sit hos fructus dividere.

Quod si datur stipendium pro legendo Sacro ad certam intentionem, non licet tibi dividere fructum Sacrificii: dans enim eleëmosynam pro Missa, videtur omnem sibi effectum deposcere. *Bonac. de Sacra disp. 1 q. ult. p. 7.* [illegible] &c. contra alios, qui probabiliter docent Collectas seu Orationes alteri applicari posse. *Dian. p. 9. tr. 7. resp. 8.* &c. Quia satis videtur esse certum dantem stipendium non ita esse solidum, ut nolit aliquam Collectam, in Sacro

Etiam ex casu, quo datur stipendium pro Missa legenda.

à se constituto inseri pro alio.

Aut quando legi ex obedientia:

Quando ex sola obedientia teneris sacrificare pro defuncto, vel in gratiarum actionem pro obtento beneficio, poteris fructus, qui non tendunt directè ad finem tibi præscriptum applicare alteri ; nam obligatio legis non est extendenda ultra finem legis & præcepti. Ita DD. *ex cap. intelligentiâ , de verbor. signific.* Potest enim privatus finis obtineri , licet unus alterve fructus Sacrificii transferatur in alios.

Aut ex liberali promissione.

Quod si liberaliter promisisti duobus seorsim Sacrum , poteris utique uno Sacro satisfacere, si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, propter quem promisisti alteri ; v. g. si uni promisisti ad obtinendam sanitatem, alteri in gratiarum actionem pro eadem obtenta ; quia liberalis promissio ita est interpretanda , ut sit promittenti minimè onerosa , præsertim si verba promissoria indicent limitationem , ut hic fit , dum uni promittitur cum limitatione ad obtinendam sanitatem. Vid. *Mach. de Præsumpt. lib. 6. Præsumpt.* 9. pro quodam intelligentia.

C. A-

CAPUT VI.

Adduntur prædictis quædam notatu digna.

NOta primò: Sacerdotem non posse disponere, aut alteri applicare fructum generalissimum, aut specialem. Hi enim Ecclesiæ, & aliis ad Sacrificium concurrentibus competunt, adeóque non sunt in potestate Sacerdotis. Secundò, fructum ministerialem à Sacerdote applicabilem, pro ratione Sacrificii quadrupliciter posse dividi & applicari: Nam imprimis potest Sacerdos nomine alterius Sacrum offerre in laudem & honorem Dei, qui fructus est laudis. Deinde potest idem Sacrificium nomine alterius offerre in gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis, qui fructus dicitur Eucharisticus. Tertiò, potest offerre pro peccatis, & pœnis alterius, & dicitur satisfactorius. Quartò, potest offerre ad impetrandum alteri certum à Deo beneficium; & dicitur impetratorius. Proinde si

Quid liceat Sacerdoti circa fructū generalissimum aut specialem.

Quid circa ministeriale.

Sacrificium præcisè offeras in laudem Dei, poteris idem offerre, & alteri applicare tanquam gratiarum actorium aut impetratorium,&c. Hinc tamen non inferes posse te plura, quàm unum stipendium admittere pro qualibet Missa : Nam sacra Congregatio ex authoritate *Vrbani VIII.* sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem datæ eleëmosynæ præscriptæ sunt. Quòd si tamen dans stipendium expressè significet, velle se unum solum fructum, posses probabiliter juxta *Tamb.* accipere aliquid ab alio ob alterum fructũ, quem etiam ipse unicum & solum expressè vellet, volenti enim non fit injuria. Tertiò, stipendium, quod datur pro Missis, non dari pro ipso fructu spirituali Missæ, neque pro labore, qui ipsi Missæ intrinsecus est, qualis v. g. est dicere orationes, aliósque Sacrificii ritus observare. Nam pro his aliquid petere, foret simoniacum. Datur proinde stipendium vel pro sustentatione Sacerdotis, qui sacrificando in gratiam alterius occupatur. Congruum enim est, ut qui

Poteritne Sacerdos ob fructum ministerialem à se divisum plura stipendia admittere.

Exponitur, quo titulo liceat Sacerdoti stipendia admittere pro Missa.

qui Altari propter alium ſervit, ex illius quoque mediis vivat & alatur. Unde non datur ſtipendium pro Sacrificio, ut quid ſpirituale eſt, ſed purè, ut in gratiam alterius ſuſceptum: Adeoque eſt pretiũ non ſpiritualis officii, ſed perſonæ in gratiã alterius occupatæ. Nec obſtat, quòd Sacerdos aliunde habeat ſufficientem ſuſtentationem. Nam eo die, quo in gratiam alterius occupatur ſerviendo Altari, eodẽ quoq; conveniens eſt, ut hic dato ſtipendio ad ſuſtentationem Sacerdotis in ſui gratiã occupati aliquid conferat: Vel datur ſecundum nonnullos Doctores pro obligatione, quam ſuſcipit in ſe Sacerdos, applicandi fructum pro tali perſona, cùm eum poſſet applicare pro alia. Nam ſi ad ſuſtentationem Sacerdotis, pro Sacrificio, quod eſt actualis applicatio fructûs ſpiritualis, ut in gratiam alterius ſuſcepto ſtipendium admitti poteſt; Videtur quoque ad eundem finem, admitti poſſe pro obligatione applicandi fructum Sacrificii, ut in gratiam alterius ſuſcepta. Interim *Suar. habens ſuam ſententiam pro communi, Arriag. C. Lugo, multis con-*

tendens contrariam esse absurdam, aliíque accipere pretium pro dicta obligatione applicandi fructum Sacrificii huic personæ, censent esse simoniacum. Sacerdos ad tollendos scrupulos admittat stipendium eo modo, quo Ecclesia permittit. Quartò, posse Missæ Sacrificium applicari omnibus fidelibus tam justis, quàm peccatoribus, quamvis hifructus propitiationis pro debito pœnæ capaces non sint, utpote extra gratiam Dei constituti. Item posse applicari Sanctis in cœlis, non quidem ut est satisfactorium; quia non egent ulla satisfactione; sed quatenus est Eucharisticum & impetratorium. Sacrificando enim agimus gratias pro beneficiis in Sanctos collatis, & rogamus, ut eorum cultum & gloriam propagare & augere dignetur: Item animabus in purgatorio, & quidem illis præcipuè ut est satisfactorium, Paganis quoque & infidelibus, ut ad fidem convertantur. Nec est prohibitum applicare excommunicatis toleratis & non vitandis; At pro non tolerato & vitando non licet, quia

Eccle-

Ecclesia non vult orari pro talibus nomine suo in solemnibus suis precibus. Nullibi tamen vetitum est, quò minùs Sacerdos in suo Memento, atque adeo privato nomine Deum pro ipso oret. Utrum autem Sacerdos tanquam privata persona possit pro illis offerre Sacrificium, de hoc fit dubium inter Authores, pro parte affirmante stat sequens ratio, quia Ecclesia solùm privat excommunicatos cõmunibus suffragiis, & consequenter Sacrificio pro ut offertur in persona Christi & Ecclesiæ. Quæ ratio quantum ponderis habeat, prudenti lectori æstimandum relinquo. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 5. sect. 3. Suar Azor.* &c. Quintò, si ante Sacrum fueris oblitus applicare fructum Sacrificii ei, qui dedit stipendium, ex probabili sententia sufficit, si immediatè ante consecrationem ei applices, adeóque poterit tunc mutari intentio, etsi eousque voluisses celebrare pro alio; cujus sententiæ fundamentum est, quod Sacerdos, accepto stipendio, probabiliter non teneatur illi, pro quo celebrat, applicare fructum ex opere operantis pro-

Quid dicẽdum, si ante Sacrum oblitus fueris applicare Missam danti stipendium.

venientem, id est, non teneatur applicare collectas vel orationes, &c. Contrarium tamen est probabilius eorum, qui volunt omnem fructum debere illi applicari, qui dedit stipendium. Nam dans eleëmosynam videtur sibi omnem fructum Sacrificii, sive ex opere operato, sive ex opere operantis provenientem deposcere. Ita enim responderet, si à te interrogaretur. Nam sicuti emens arborem, omnem ejus fructum sive parvum sive magnum deposcit, ita fideles à Sacerdote Missam petentes totum ejus fructum volunt, sive ex opere operantis magnus sit, sive parvus, juxta dispositionem Sacerdotis. Dum hic igitur in malo statu celebrat, dat quod exigitur, quia dat juxta dispositionem suam, quam habet; Sicut arborem emens ab eo plus non exigit, quàm ipsa profert juxta naturalem dispositionẽ. Est tamen præsumptio satis certa, neminem ex dantibus stipendium tam esse tenacem, ut nolit Sacro sibi applicato ullam collectam pro alio interseri. Accedit, quòd sicuti impedire non potest, ut in Memento Sacerdos oret pro aliis; Ita nec videtur impedire posse, ut

oret

oret collectam pro alio. Imò nec erit tam rigidus, quin permittat secundariò offerri Sacrificium pro aliis, maximè si id absque ejus detrimento fieri poterit, pro ut fiet juxta eorum sententiam, qui docent Missam multis simul applicatū tantū prodesse singulis, quantum omnibus. Verùm quia contraria sententia est communior & probabilior, secundarias intentiones rectè adjicies, cum ea tacita conditione, si stipendium offerenti inde nihil decedat. Adde, quòd si is, pro quo celebratur, ejus fructus sit incapax, aut illo non indigeat, hunc fructum probabiliter participandum ab eo, pro quo secundario Sacrum obtulisti v.g. lectum Sacrum pro defuncto; Qui si ad cœlum transierit, non indiget satisfactione, adeóque fructus satisfactorius obvenier illi, pro quo secundariò celebrâsti. Vid. *Gob. l. c. Tamb.* &c. Sextò, Sacerdos applicans Sacrum illi animæ, quam Deus vult, nihil omninò agit. Non enim Dei, sed Sacerdotis est alteri Sacrum applicare: Aliud est, si intentionem tuam alliges scientiæ divinæ dicendo v. g. offero hoc Sacrum illi animæ, quam Deus

Qua ratione Sacerdos secundarias intentiones suo Sacro rectè adjiciet.

Quid si Sacerdos applicet Sacrum animæ, quam Deus vult.

videt maximè indigere, vel cui videt Sacerdotem posse utilissimè aut debere applicare. Intentio etiam, quæ est sub conditione de futuro, nulla est, & invalida, v. g. applico Sacrum illi, qui mihi cras ex consanguineis primò est obventurus, vel qui cras primò omnium oblaturus est stipendium, quia Sacrificium producit effectum, quando exiftit, ac proinde per intentionem Sacerdotis suspendi non potest. Idem est, si dicas, applico illi, quem Deus scit mihi esse obviaturum, quia hæc intentio virtualiter est sub conditione de futuro. Nam obviatio illa cras liberè futura est. Vid. *Suar. Laym. Gob. l. c. &c.*

Aut applicat de conditione sub futuro.

CAPUT VII.

De stipendio, quod Sacerdoti datur pro Sacrificio Missæ.

SAcerdos admittens stipendium pro Sacro, quod celebrat; studiosè servabit sequentia, quæ ob turpem quorundam Sacerdotum negotiationem, ac fœdè quæsitum lucrum, & præsumptam intentionem

nem dantium stipendium, partim publicâ authoritate constituta, partim communi Doctorum & Fidelium sensu ac praxi ferè stabilita sunt. Primò, Sacerdos, qui pro Sacro accipit stipendium, quod sufficit ad materiam gravem justitiæ, tenetur sub mortali Sacrum dicere, vel stipendium restituere. *Laym. l. 5. tr 5. c. 3.* & alii comm. Aliud est si stipendium non esset sufficiens ad materiam gravem furti; jam enim omittendo Sacrum non lædit jus alienum in re gravi. *Fag. de præcept. Eccl. pra. 1. l. 3. c. 8.* Secundò, differens ad longum tempus celebrationem Missarum, quas ex justitia celebrandas suscepit, peccat mortaliter, quia in re gravi impingit contra justitiam. Potest tamen simul se obligare ad 50. vel 60. Quia hoc ex probabili sententia censetur modicum tempus à sacra congregatione requisitum. Vid *Dian. p 2. tr. 14. res. 25. de Lug. Ledesma*, &c. Est tamen hac in re spectanda, ut rectè notat *Dicast. disp. 4. n. 402.* rationabilis voluntas offerentis eleëmosynam. Et sine dubio quando petitur Sacrum pro præsenti necessitate v. g. sanitate

Poteritne Sacerdos licitè retinere stipendium non lecto Sacro.

Aut ad longum tempus differre Sacra, quæ ex justitia celebranda suscepit.

sanitate infirmi, differri non debet, quia tunc circumstantia temporis spectat ad substantiam rei petitæ. Tertiò, si is, qui petit Sacrum non det stipendium justum ab Episcopo vel consuetudine taxatum, non potest Sacerdos à diversis tot parva accipere, quæ justo stipendio æquivaleant, & unum tantum pro omnibus Sacrificium offerre. Ira enim ob speciem turpis negotiationis præcipit Congregatio Cardinalium, estque prohibitum per *Bullam Vrb VIII.* Tu tamen pro eo, qui non dedit justũ stipendium probabiliter non teneberis totum Sacrum offerre, ut docet *Suar. disp. 86. sect. 4. Tann. Dian.* &c. contra *Bonac.* & alios. Quartò, Sacerdos, qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare pro ornatu vel cultu illius Ecclesiæ, vel commoditate populi, ut hic sacrũ audiat absque obligatione ulli applicandi Sacrificium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium admittere. Quia cùm stipendium detur pro labore extrinseco Sacrificii, qui est pretio æstimabilis, una Missa non meretur nisi unicum stipendium, (ubi per laborem extrinsecum intellige

Aut non dante justũ stipendium, qui Sacrum petit, à diversis tot parva accipere, quæ justo stipendio æquivaleãt, & unũ pro omnibus Sacrificium offerre.

Aut obligatus celebrare pro ornatu, vel cultu Ecclesiæ, aut cõmoditate populi, citra obligationẽ applicandi Sacrificiũ, pro illius applicatione aliud stipendiũ admittere.

cum,

eum, qui ſuſcipitur propter circumſtantias aliquas extrinſecas v. g. celebrare tali loco, tali tempore, &c.) atque ita Congregatio Cardinalium declaravit reſpondens Epiſcopo Tragurienſi ad factam ſecundam quæſtionem de præſenti caſu, hoc tamen, ut loquitur *Gob. tr. 3. caſ. 16. n 493.* ſcio non eſſe ubique uſu receptum. Proinde ſi in illa Diœceſi, in qua degis, alii docti & timorati Sacerdotes ſtipendium admittant pro applicatione Sacri, idem quoque tibi licitum erit, rectéque concludes, dictam declarationem iſtic non eſſe receptam. Imò quia declarationes Cardinalium non habent vim obligandi, niſi ſint approbatæ à Pontifice, & ſignatæ manu, aut ſigillo Cardinalis Præfecti & Secretarii, ac ſufficienter promulgatæ, & hæ tres conditiones non inveniantur plenè adeſſe dictæ declarationi, utpote quæ Epiſcopo Tragurienſi de hoc per litteras Congregationem conſulenti ſolùm data eſt; ſententia plurium DD. antehac contrarium docentium non videtur eſſe improbabilis. Vid. *Gob. cit. tr. 3.* Suadendum tamen eſt, ut in praxi

ſtetur dictâ declaratione, quæ maximi facienda eſt, utpote facta à viris ſapientiſſimis, quæque innititur communi præſumptioni, quâ præſumitur, niſi ex claris verbis Fundatoris, aut aliunde contrarium conſtet, Sacrum fundatum eſſe communiter, non pro ſolo cultu Eccleſiæ, aut commoditate audientium, ſed ſimul pro anima Fundatoris. Quæ præſumptio iſtic, ubi tenet, manifeſtè non permittit applicationem poſſe fieri pro alio, cùm vi hujus præſumptionis debeat fieri pro Fundatore. Vid. *Gob. tr. 3. caſ. 16. n. 495.* &c.

Aut pro una miſſa tot ſtipendia accipere, quot illi ſufficiunt ad ſuſtentationem unius diei.

Quintò, non poteſt Sacerdos pro una Miſſa tot ſtipendia accipere, quot illi ſufficiunt ad ſuſtentationem unius diei. Non enim æquum eſt, ut labore mediæ horæ, quam Sacerdos in gratiam alterius ſuſcipit, exigatur victus integræ diei. Illud proinde ſufficiet, quod vel Epiſcopali lege vel communi piorum, ac prudentum conſuetudine ſtatutum eſt. Vid. *Suar. Vaſq tom. 3. in 3a part. diſp. 234 c. 3.* Sextò,

Aut deficientibus reditibus pro celebratione Miſſarum,

Sacerdos beneficiatus deficientibus ob varios caſus reditibus aſſignatis pro celebratione Miſſarum, non poteſt propriâ authoritate

tate reducere Missas ad minorem numerum, ita ut singulis respondeat justum stipendium, sed in hoc aut simili casu recurrendum est vel ad Episcopum, cujus tamen facultas hac in parte à Tridentino limitata est, vel certè ad summum Pontificem. Nam si hæc reductio permitteretur cuivis privato, fieret in Ecclesia magna confusio, & multiplex Fundatorum defraudatio. Vid. *Gob. tr. 3. cas.* 17 Septimò, observandum est, tres sequentes sententias ab *Alexandro VII.* veluti scandalosas esse rejectas. Prima est eorum, qui docent posse Sacerdotem duplicatum stipendium licitè accipere pro eadem Missa, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum *Vrbani VIII.* éstque 8. inter prohibitas. Secunda n. 9. docentium, posse Sacerdotem cui missæ celebrandæ traduntur, post decretum Urbani, substituere alium, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ. Tertia, n. 10. non esse contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque

propriâ authoritate reducere Missas ad minorem numerum.

Quid circa stipendium statuerit Alexand. VII.

etiam esse contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. His tamen non obstat, quin Sacerdos, si noverit majus se accepisse stipendium intuitu amicitiæ, quam habet cum offerente stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere, dato illi ordinario stipendio. Idem est, si is, cujus operâ usus es, tibi benevolè & liberaliter donet partem stipendii, aut etiam totum, jam enim non prohiberis retinere illud. In praxi tamen non est præsumenda hujusmodi liberalis donatio, cùm plerumq; magis fieri soleat ex metu, ne tu aliis Sacra tua celebranda cõmittas, quàm ex liberalitate. Vid. *Tamb. lib. 3. c 1. §. 5.* Hinc quoque excipiuntur Parochi, & alii beneficiati, pro quibus facta est largior fundatio. Nam hi non solùm acquirunt dominium fundatæ eleëmosynæ, sed etiam videtur id esse conforme voluntati Fundatoris. Proinde si talibus per alium celebrare liceat vi fundationis, possunt, ut respondit sacra Congregatio, dare Sacerdoti congruam eleëmosynam secundum morem

Quid decretis Alex. VII. non contrarietur.

morem Civitatis vel Provinciæ; nisi fortè in fundatione beneficii aliter cautum fuisset. Vid. *Declarat. Card. cit. à p. Gob. tr. 3. cas. 16.* Denique qui stipendium accipit ad Sacrum faciendum in certo Altari, peccat graviter, si celebret alibi. Quia in re gravi facit contra suam obligationem, nisi fortè aut justa causa eum excuset, aut ter vel quater per annum alibi celebret, quia non solet esse intentio Fundatoris, tam arctè obligare. Vid. *Dian. p. 2. tr. 14. resol. 29. &c.*

Quid si sit obligatio celebrandi in certo Altari.

CAPUT VIII.

De cæremonijs Missæ.

PEccat mortaliter, qui in Sacro tam multas cæremonias negligit, ut moraliter censeatur observare ritum alium ab eo, qui in Missali præscriptus est. Nam Pius V. gravissimè præcipit, stari ritibus Missalis reformati. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 22. &c.* Item quoties in Rubricis habetur, hæc vox: *graviter peccat*, certum est significari mortale. Habetur autem septies.

Quando censebitur Sacerdos per neglectum cæremoniarum graviter peccare.

ſepties. Primò, ſi Sacerdos latinus non conſecret in pane azymo. Secundò, ſi cum vino corrupto, aut ſine aqua naturali. Tertiò, ſi formæ conſecrationis addat aliquid, aut deniat, niſi fortè omittatur particula *enim*, nam hæc non eſt de ſubſtantia conſecrationis. Quartò, ſi celebret irretitus cenſurâ vel irregularitate. Quintò, ſi non ſumat integra Sacramenta. Sextò, & Septimò, ſi celebret in mortali habens copiam Confeſſarii, aut ſine contritione non habens Copiam. Denique quando materia Rubricæ (D) pertinet ad integritatem Sacramenti ſeu Sacrificii, cenſetur id à Rubrica ita graviter præcipi, ut illius omiſſio ſit mortale. Ejuſmodi ſunt, quæ de pane, vino, mixtione aquæ, intentione, forma, ſumptione utriuſq; ſpeciei præſcribuntur.

CAPUT IX.

Quid ſit Rubrica, & quæ ex illis graviter obligent.

CUm Rubrica nihil aliud ſit, niſi mera manuductio ſive dire-

directio circa ea, quæ in Sacro dicenda sũt vel facienda, rubro colore scribi solita; hinc nulla Rubrica præcisè quà talis est præceptiva, sed tantum directiva. Illæ tamen censentur præceptivæ seu obligantes sub mortali, quæ continent seu notant aliquid, quod ex jure vel legitima consuetudine graviter jubetur, vel quæ expressè aliquid sub mortali præcipiunt. Vid. *Tamb. tract. de Sacrif l. 2. cap. 1. § 1. Lug.* &c. Conveniunt autem ferè plerique Doctores, sequentes, Rubricas esse de re gravi, & sub mortali observandas; scilicet de loco celebrandi non prohibito. Debet autem is esse consecratus, aut saltem benedictus, & non violatus, aut exsecratus. Quamvis in casu necessitatis, item per privilegia Sedis Apostolicæ; Imò etiam ex concessione Episcopi, si justa causa adsit, in loco non consecrato aut benedicto consecrari possit. Potest etiam Episcopus probabiliter ex *Enjm. & Gob.* in privato oratorio ad divinum cultum duntaxat destinato dare facultatem sacrificandi. Item de Ara consecrata, eáque vel fixa & stabili, vel portatili seu viatica, utraque

Quid dicendum de loco celebrandi.

De Altari.

De lumine. traque ex lapide. Tertiò de lumine. In necessitate tamen etiam non valde gravi probabiliter unum sufficiet, & quidem ex oleo vel sebo, si cera haberi non possit.

De hora celebrandi. Quartò de hora celebrandi, quæ est non celebrare ante auroram, nec post meridiem, nisi justa causa, rationabilis consuetudo, vel privilegium excuset. Intelligitur autem per auroram illud tempus, quo primum apparet vestigium advenientis diei, & cùm Missa possit incipi tanto ante auroram, ut sub initium illius finiatur, ipsa autem aurora sesqui horam secundum quosdam comprehendat, poterit Sacrum duabus horis ante ortum solis inchoari. Quintò, de

De statu gratiæ & jejunio naturali. statu gratiæ, de jejunio naturali. Sextò, de Ministro & quidem masculo. In necessitate tamen gravi,

De Ministro. v. g. diei festi, dandi Viatici, poterit celebrari absque ministro. Imò si habeas ministrum, qui posset omnia facere, præterquam respondere, probabiliter etiam ex sola devotione cum illo celebrare

De Missali. poteris. Septimò de Missali. Nisi fortè Sacerdos ob visûs debilitatem ad legendum insufficiens tam felici memoriâ Missam teneat,

neat, ut non sit morale periculum omittendi aliquid ex Missa. Erit tamen in illo casu alius ponendus liber ad vitandum scandalum.

De Calice & Patena.

Octavò, de Calice & Patena consecrata, quæ debent esse aurea vel argentea, aut saltem cuppa Calicis argentea, & intus inaurata. Probabiliter tamen sufficit esse stannea, imò in magna paupertate plumbea, ea tamen esse necessariò inaurata non requirunt Doctores, quamvis Rubricæ per modum directionis id asserant.

De Corporali & Palla.

Nonò, de Corporali & Palla lineis secundum eam partem, secundum quam tegunt Calicem, & ab Episcopo vel Privilegiato benedictis. *Gavant.* tamen non improbat usum, quo adhibetur Palla cannabina.

De Canone integrè recitando.

Decimò, de Canone integrè & secretè recitando, in quo debet nominari Episcopus loci, in quo facis Sacrum, aut declaratum testatur *Gavant.* Porro Canon secundum probabilem sententiam incipit ab illis verbis; *Qui pridie quàm pateretur,* & desinit ad orationem Dominicã inclusivè.

De numero, mundi-tia, integri-

Denique de numero, mundi-tia, integritate & benedictione vestium Sacerdotalium. Absque cingulo

ate & benedictione Sacerdotalium vestiũ.

cingulo tamen non benedicto celebrare non erit grave ; imò in casu necessitatis absque una alterâve ex minoribus v. g. Stola, cingulo, manipulo celebrare licet. Quibus *Gav.* addit illam Rubricam, quæ est de Missa cantanda de feria privilegiata post nonam in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, quando eo die fit officium de festo. Si quæ sint aliæ graviter obligantes videri possunt in obviis Authoribus. Quamvis jam dictæ ferè sint potissimæ, & reliquæ vel nullam vel solùm venialem obligationem inducant, idque ob levitatem materiæ, quæ etiam in Canone locum habet, ut si nomen alicujus Sancti omitteres, aut illud, quod additur tempore Paschali, communicantes.

De Missa cantãda de feriis privilegiatis post nonam in Ecclesiis collegiatis.

CAPUT X.

De Rubricis merè directivis.

Quid dicendum de orationibus ante & post Missam.

PRobabiliter ne quidem sub veniali obligant sequentes Rubricæ; quæ sunt de orando ante & post Missam (subintellige de illis precibus, quæ pro opportunitate

nitate Sacerdotis ante Sacrum faciendæ sunt) de numero orationum, de coloribus sacrarum vestium, de lotione manuum ante & post Sacrum, ut insinuant *Suar.* & *Tamb.* non agnoscentes in hac Rubrica rigorosum præceptum, nisi ante Sacrum manus forent notabiliter immundæ. Decens tamen est ob reverentiam Sacramenti, ut hæc Rubrica de lavandis manibus, non omittatur. Quòd si sub Sacrificio Missæ adverteres unum alterúmve digitum esse atramento illitum, & id notares antequam diceres, *Lavabo inter innocentes*; lava digitos aliquanto validiùs, & diutiùs more solito, non tamen quo ad abluatur omne atramentum, partim ob nimiam moram, quæ traheretur, partim quia macula ex atramento non censetur moraliter esse tam indecens, quàm quæ ex luto, sanguine, &c. Si post *Lavabo* id adverteres, perge sine alia solicitudine, quia nec salivâ nec aquâ decet tunc detergere illam maculam utpote non magnopere indecentem. Ubi simul observa graviter ab iis peccari, quorum culpâ fit, ut vestes, paramenta, aliáque valde

De numero orationum in Missa.

De coloribus Sacrarú vestium.

De lotione manuum ante & post Sacrum;

Quid si sub Sacro unus altérve digitus atramento notaretur illitus.

Notanda quædam circa mun-

ditiem vestiũ Sacrarũ,& paramentorum. Item lotionem Corporalis & Purificatorii.

valde immunda, non mundentur, priusquam in illis sacrificetur. Corporale autem & Purificatorium, aliaque his similia saltem ex reverentia sunt à Sacerdote aut Diacono in vase ad hoc præparato lavanda, & lotio mittenda in piscinam. Quod intellige de prima lotione, quâ factâ possunt accuratiùs à Virginibus lavari & refici.

Aut Calicis & Patenæ.

Idem est de Calice & Patena, si quid in illis à laico reficiendum foret, aut si fortè minùs munda ulteriùs lavanda essent. Nam à laico absque necessitate hæc minimè tangi debent. Similiter Rubrica de

Quid de Rubrica præscribente, ut nihil addatur verbi Missalis.

non addendo aliquid verbis præscriptis in Missali, est merè directiva, si hãc intelligas de piis affectib⁹ aut precibus jaculatoriis ipsi Sacro opportunè immixtis, dummodo illis non intempestivè utaris, item de actibus humilitatis, contritionis, amoris, &c. minoris momenti breviter excitandis, dum immediatè ante sumptionem sacram Hostiam manibus tenes. Vid. *Gob. tr. 3. cas.* 22. Dicere autem alia v. g. *Credo*, *Gloria*, cùm omitti debeant, videtur veniale ob parvitatem materiæ. Vid. *Suar. disp.* 83. *sect.* 3. &c. Quia usurpatur

patur novus ritus contra prohibitionem Pii V. Sic neque per dictam Rubricam prohibetur tempore prolixi cantus aut concionis oratio vocalis secretò à Sacerdote facta. Eo tamen casu non rectè Sacerdos se exuet sacris vestibus, & interim domi ea aget, quæ ageret ante Sacrum nondum inceptũ. Quia moralis continuatio Sacrificii videtur lædi per illam depositionem vestium cum egressu ex templo. Quibus adde recitationem Matutini & Laudum ante Sacrum, maximè si justa causa adsit, imò probabiliter sine illa juxta *Tamb. l. 1. de Sacrif. cap. 7. §. 1.* & alios, eò quòd hæc recitatio non sit tam ritus Missæ, quàm quid requisitum ad eam. Contrarium tamen est communius & probabilius eorum, qui dicunt non posse omitt. sine causa. Item sub veniali. Item Rubrica de secunda ablutione seu perfusione digitorum facienda in vino & aqua. Hæc enim ad libitum Sacerdotis fieri potest vel in sola aqua vel in solo vino. At prima purificatio, quæ est ipsius Calicis immediatè post sumptum Sanguinem, sub veniali est facienda in vino, &

Quid Sacerdoti liceat tempore prolixi cantus, aut concionis sub Sacro.

Quid de Matutino & Laudibus dicendis ante Sacrũ.

Quid de secunda ablutione quâ digiti Sacerdotis perfunduntur.

De prima purificatione Calicis

aliter erit sentiendū.

si contingeret per errorem à Ministro aquam affusam fuisse, ut hic error sine tumultu corrigatur, tantum vini per Ministrum affundatur aquæ, ut quantitate vini aquam superante, ex utroque fiat vinum usuale. His denique adde Rubricas, quæ agunt de Missæ defectibus corrigendis. Nam illæ non obligant ad ullum peccatum in quantum sunt præcisè Rubricæ Missalis. Quà tales enim sunt, tantùm instructiones datæ juxta probabiles sententias, quarum oppositam nisi agatur de valore Sacramenti ex communibus principiis constat, quemvis licitè sequi posse. Quòd si tamen ex his essent aliquæ, quæ continerent præcepta vel Divina vel in jure Canonico expressa, utique obligabunt ad culpam. Vid. *Suar. disp. 85. sect 15.* Et eo hac ratione censet *Quarti p. 3 tit. 10. n 12.* graviter peccari, si in casu effusionis Sanguinis omittatur ea diligentia, quæ ex decreto *l. I. Si per negligentiam de consecrat. dist. 2.* (demptis quibusdam, quæ modo non sunt in usu) à jure communi præscribitur, & *n. 12* Rubricarum, de defectibus in ministerio ipso occurrentibus

Quid de Rubricis, quæ sunt de Missæ defectibus corrigendis.

De Rubrica, quæ est pro casu effusi Sacri Sanguinis videtur aliter esse loquendum.

expri-

exptimitur, eò quòd sit transgressio rigorosi præcepti juris communis in materia gravi, nisi excusset parvitas materiæ. Ut si Sacerdos bis sufficienti diligentiâ lavaret linteum, in quod effusus erat sacer Sanguis, tertiâ lotione omissâ. Quia hæc omissio leviter opponitur fini præcepti, qui est debita reverentia erga augustissimum Sacramentum. Hæc igitur & similes Rubricæ, cùm solùm sint directivæ non inducunt obligationem peccati. Econtra verò ob levitatem materiæ censebitur esse veniale omittere *Gloria vel Credo*, item orationes, quæ Sacerdoti præscribuntur, dum induit vestes sacras, & aliæ similes, quæ ob parvitatem materiæ à gravi excusant. Vid. *Dian. p. 2. tr. 14. resol. 49. Laym.* &c.

Item si omitteretur Gloria vel Credo, aut preces dicendæ, dum Vestes Sacræ induuntur, aut aliæ similes Rubricæ, quarum transgressionem levitas materiæ à gravi excusat.

CAPUT XI.

De violatione, pollutione, & exsecratione rei Sacræ.

QUoniam facta est mentio violationis, pollutionis, & exsecrationis; sciendum est primò,

Locus sacer quomodo violetur aut profanetur.

locum sacrum pollui, violari, ac profanari, quando in eo exercetur actio, ita repugnans loci sanctitati, ut propter illam iterum debeat benedici. Sunt autem quinque actiones in jure Canonico expressæ, quibus (si non occultæ, sed publicæ fuerint) locus sacer polluitur. Et primò quidem per homicidium mortaliter malum in eo factum, quando existenti nimirum in loco sacro infertur vulnus, ex quo vel ibi vel alibi moriatur. Imò licèt occisio non sit injuriosa occiso; sufficit tamen esse injuriosam sanctitati loci, ut si quis se ipsum occidat, aut judex reo mortis supplicium inferat. Secundò per mortaliter malam sanguinis effusionem. Tertiò per graviter malam seminis humani effusionem. Quartò per sepulturam infidelis. Quintò per sepulturam nominatim excommunicati, aut notorii percussoris Clerici, quamvis hæ duæ posteriores actiones forte sine peccato sint exercitæ. Non igitur polluitur per sepulturam hominis hæretici, nisi sit nominatim denuntiatus, ut docet *Laym.* cum aliis, sicut nec probabiliter per sepulturam infantis

A jure statuuntur quinque actiones, locum sacrum, si publicæ fuerint, profanantes.

fantis non baptizati, eò quòd hujusmodi infantes non censeantur propriè infideles, & propter fidem parentum videantur posse computari inter fideles. Præterquam quod multi Authores loquentes de sepultura infidelis non baptizati, non loquantur de sepultura infantis non baptizati. Contraria tamen sententia ob authoritatem Doctorum est probabilior. Adde quod polluta Ecclesia etiam sint polluta Altaria illius fixa, imò & cæmeterium adhærens ipsi. Sciendum secundò, locum sacrum, Altaria, Vestes sacras, &c. exsecrari, quando ita destruuntur, ut denuò debeant consecrari. Quod fit, quando per sui destructionem, formam & usum perdunt. Sic exsecratur Ecclesia, quando muri Ecclesiæ vel ex toto, vel ex majori parte simul comburuntur, aut destruuntur; non autem si solum tectum destruatur, nam consecratio est in parietibus. Altaria si fixa fuerint exsecrantur per Ecclesiæ pollutionem. Utraque tam fixa, quàm mobilia exsecrantur, quando ita frangantur, ut non maneat ulla pars integra sufficiens ad recipiendum Calicem

Quid dicendum de sepultura infantis non baptizati.

An quando Ecclesia est profanata, etiam Altaria & cæmeterium censebitur pollutum.

Res sacræ qua ratione exsecrẽtur.

Erithe Altare exsecratum per fractionem sepulchri.

licem & Patenam; non autem exsecrantur probabiliter per fractionē sepulchri. Quia nullo jure probatur necesitas imponendi reliquias Altaribus, dum consecrantur; quod vel maximè verum est in Altaribus mobilibus, in quibus saltem per consuetudinem derogatum est juribus illam necesitatem insinuantibus.

Vid. *Laym. l. 5 tr. 5. c. 1 Lugo*, &c.

FINIS.